


CHRISTOPHORI CELLARII
ORATIONES
ACADEMICAE,
CONLECTAE
OPERA
IOANNIS GEORGII WALCHII,
QVI ET
PRAEFATIONE
DE
FATIS ORATORIAE
INTER GRÆCOS, ROMANOS
ET GERMANOS COPIOSE
EDISSERVIT.

Possessor libri est



LIPSIÆ,

SVMPTIBVS IO. LVD. GLEDITSCHII
& MAVR. GEORG. WEIDMANNI,
ANNO M DCC XIV.

H.

Christian Heinrich
Wūmer. 1733. d. 1. Maji.

ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO

DOMINO,

DOMINO IOANNI CHRISTOPHORO

S. R. IMPERII BANDERESIO

ET

LIBERO BARONI A WOLZOGEN,

DOMINO CLIENTELARVM NEVHVSII, ARENSTEINII, FAHRENFELDII, GVTENBRONNÆ, MVHLFELDII, BAVERBACHII, CETERA,

CONSILIARIO IMPERIALI AVLICO, SERENISSIMI SAXON. COBVRGO-MEINVNGENSIS SANCTIORIS SENATVS DIRECTORI, ITEM REGIMINIS DVCALISQVE REDITVVM TRIBVNALIS PRÆSIDI EMINENTISSIMO,

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

ET

PER-ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO

DOMINO, DOMINO

PAVLO HENRICO LIBERO BARONI DE TILEMANN,

DYNASTAE IN STEPFERS-HAVSEN ET KRAEMERN,

SERENISSIMI SAXON. CO-BVRGO-MEINVNGENSIS A CONSILIIS SANCTIORIBVS ET INLVSTRI PROTO-SYNEDRIO ILLVSTRISSIMA DIGNI-TATE PRÆSIDENTI,

DOMINO MEO GRATIOSO.

ET

ET

*EXCELLENTISSIMO ET CONSVL-
TISSIMO*

DOMINO,

DOMINO IOANNI CHRISTOPHORO TRIER,

SERENISSIMI PRINCIPIS
SAX. COBVRG. MEINVNGENSIS
CONSILIARIO AVLAE ET IVSTITIAE
GRAVISSIMO,

PATRONO OPTIMO

S. P. D.

IO. GEORGIVS WALCHIVS.





Ollicitus adhuc fui, quomodo occaſionem aliquam nanciſcerer, qua pietatis meæ, cuius officio penitus VOBIS dicatus ſum, publicum aliquod monumentum ſtatuere, & deditiſſimæ mentis meæ pignus haud contemnendum exhibere poſſim. Merita VESTRA, quæ in meliorum litterarum ſtudia contuliſtis, tanta ſunt & adeo abundant, vt profitear ingenue, quod illa haud explicare & accuratius, quæ dignitas illorum & diuina fere maieſtas eſt, commemorare queam. Quamquam inprimis diſtenti rebus publice gerendis ſitis & negotiorum, quæ pro poten-

potentiſſimo PRINCIPE NOSTRO & commodis communibus præſtatis, copia VOS circumſtet; non ceſſatis liberalibus diſciplinis fauere, earumque aduerſus malignorum ſtrepitus cauſſam agere fortiter. Summæ huius & ſingularis benignitatis, qua meliorum litterarum alumnos ſoletis proſequi, in me ipſo exemplum conſpicuum atque inluſtre eſt, quod non ſolum mirifica in me & ſtudia mea eſtis beneuolentia, ſed magnis etiam beneficiis ornauiſtis. In quibus VESTRIS in me meritis prædicandis ſi ætatem omnem, quam ſummum numen mihi largitur, conſumſero, ægre propter magnitudinem ſufficiam & paruam retuliſſe gratiam uidebor. Verum quum generoſarum mentium, hoc eſt VESTRARVM

ſimilium, hæc indoles atque natura eſt, vt ad ſubmiſſam clientum voluntatem, qua Patronis plane dediti ſunt, reſpiciant, non miramini, credo, cur de incredibilis pietatis meæ pignore aliquo cogitauerim. De quo meditanti nihil inter res litterarum mearum occurrit, vel mediocriter dignum ingenio VESTRO, niſi has CELLARII, qui omnium conſenſione diſciplinarum humanitatis princeps habetur, orationes VOBIS ſacratas atque inluſtri nomini VESTRO dedicatas exhibeam. Quæ quum a litterarum meliorum, quibus ipſi generoſam & inluſtrem mentem & animum veſtrum adhibetis, principe proficiſcuntur & res diuina perſona VESTRA haud indignas declarant; me haud temeritatis cri-

crimine insimulari posse, videor. Accipite ergo hoc publicum pietatis meæ testimonium, & facite, vt de eo, quæ consuetudo VOBIS est, beneuole iudicetis & ipsi erga me & musas meas beneuolentiæ VESTRAE in dies cumulum addatis; cui petitioni sollicitæ vt velitis adnuere, rogo, precor atque contendo submisse. Lipsiæ, d. XXX. Sept. clↄ Iↄcc XIII.



LECTORI AMICO

S. P. D.

IO. GEORGIVS WALCHIVS.

STudiorum & diſciplinarum, quibus romanus populus caput ſuum extulit, animumque alienum ante ab humanitate, reddidit manſuetiorem, dicendi ars atque eloquentia vtique ſumma & præcipua exſtitit. Harum inprimis litterarum cultura effectum eſt, vt illius imperium ad tantam magnitudinem euectum ſit, & per tot ſecula, quod nos in admirationem maxime trahit, ſine offenſa fortunæ in eadem immotum atque inconcuſſum etiam perſteterit. Tanta quippe auctoritas & tam maxima vis arti huic inſita eſt, vt nemo, cuiuscunque ſit litterarum profeſſionis, vberrimos fructus denegare poſſit, quum munere & lumine

mine illius a barbarie ad mores cultiores & a ruditate ad humanitatem & variam doctrinam traducamur. Illi, qui sacra & Iuris doctrina imbuti sunt, quo ornatius & ad culturæ atque elegantiæ regulas componunt orationem, quum publica ista est recitanda, eo maiorem vim habet in animis audientium. Et quem fugit, quod legatis principum, aliisque aularum & ciuitatum ministris sæpe verba publica sint facienda, siue consultatio proferenda, siue cum populo agendum, vt suadeant vehementer, quod fructuosum & ipsum rei publicæ florem promouet, tuetur atque confirmat. Vnde haud miramur, quod ab omni tempestate, quam litteræ & elegantiores musæ primos inuenerint patronos, ars dicendi magni habita fuerit, & multi grauissimi æstimatores extiterint, vt fructus ex his studiis profectos vel in se deriuare possent. Omnes gentes adire, quæ per litteras has nobile nomen a se dederunt, a proposito & præfaminum ratione alienum est, qua breuiter omnia dicenda sunt, nec fusiore historiæ huius cognitione bene consuli nobis existimo. Admirandam gloriam, quæ veteres, inprimis

Græ-

Græcos, Romanos & Germanos noſtræ quoque memoriæ ex litteris his conſecuta, quamque poſteritas alet, atque ipſa æternitas conſeruabit, in præſenti accuratius expendamus.

II. Quemadmodum Græcia artium liberalium litteris maxime fuit exculta, Cicero pro Flacco cap. 17. & publica illarum officina exſtitit; ſic nihil fere dignius, nihil præſtantius, nihil æque neceſſarium habuit, atque eloquentiam. Qua ætate vero diuinæ eloquentiæ diſciplina excoli & tradi cœperit, & cui origo illius accepta debeatur, id eſt, quod veteres monumentis ſuis haud ſcriptum reliquerunt. Quin ante græcos exteris gentibus artis huius diſcendæ cura fuerit, non dubito, quum & alias diſciplinas, easque ſapientiæ, quæ ſumma cognatione & vinculo cum eloquentia coniunctæ ſunt, ab iſtis acceperint. Quintilian. Lib. III. cap. 2. *Nec diu nos moretur quæſtio, quæ Rhetorices origo ſit. nam cui dubium eſt, ſermonem ab ipſa rerum natura geniti protinus homines acceperint? quod certe principium eſt eius rei. Huic ſtudium & incrementum dederit vtilitas: ſummam ratio & exercitatio.* Id conſtat ex veterum lectionibus, quod Græci diſſerendi facun-

cundiam antiquitate magna habuerint, eoque nomine, qui mos fuit & consuetudo, illius natales ad deos retulerunt. Dionysius Halicarn. περὶ τῶν πανηγυρ. dicendi artem ait; παρ' Ἑρμοῦ τε καὶ Μουσῶν λαβεῖν, *a Mercurio & Musis accepisse.* Et Hesiodus Θεογον. v. 81--88.

Ὅν τινα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
Γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι διοτρεφέων βασιλήων,
Τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἐέρσην,
Τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα· οἱ δέ νυ λαοὶ
Πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσι, διακρίνοντα θέμιστας
Ἰθείῃσι δίκῃσιν· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύων,
Αἶψά τε καὶ μέγα νεῖκος ἐπισταμένως κατέπαυσε.

Quemcunque honoraturæ sunt Jouis filiæ magni,
In lucem editumque adspexerint a Joue nutritorum regum,
Huic quidem super linguam dulcem fundunt rorem,
Huius vero verba ex ore fluunt suauia: ceterum populi
Omnes ipsum respiciunt, reddentem ius
Rectis iudiciis. hic autem secure in concione verba faciens,
Statim etiam magnam contentionem scite dirimere solet.

Quibus de caussis Mercurio linguæ sacræ & dicatæ fuerunt, vt gloriam & honorem, quem

quem hac oris arte pepererint sibi, tuerentur, & in memoriam sæpius reuocarent, & diligenter illius haberent custodiam, Cœlius Rhodigin. A. Lection. XIII, 5. & Spondanus ad Homer. Odyss. γ. Quo animo de fabella hac cogitauerint, haud difficile est exponere, quum nimiam eloquentiæ ætatem, quæ mortales quasi superaret, interpretari & declarare voluerunt, qua sententia & musica & poësis firmatos nos reddit. Plutarchus de Iside & Osiride: Ἑρμῆν γραμματικῆς καὶ μουσικῆς εἶναι εὑρετὴν νομίζουσι, *Mercurium Grammatices & Musices inuentorem censent.* Quod ante *Orpheum* & *Homerum* egregios poetas, iam extiterint, qui in harum artium studiis liberalissimis sint doctrinisque versati, cum veritate maxime coniunctum videtur. Diu multumque disputatum fuit, num *Orpheus* vnquam vsuram vitæ perceperit, quod Aristoteles, teste Cicerone de N. D. I, 38. & ætate nostra Vossius de Poës. Const. c. XII. & Huetius Demonstr. Euang. p. 215. negatum iuerunt. Quibus opinionibus quum neutiquam accedimus, ab ipso *Orpheo* antiquissimæ ætatis poëta, haud contemnendum argumentum deriuamus, quo orato-

oratoriæ vetuſtas & antiquiſſima opera, qua vetus Græcia litteris his operata eſt, poteſt demonſtrari. Namque Naſo Metam. XI. init. de Orpheo:

Siluas, animosque ferarum
Threicius vates, & ſaxa ſequentia traxit.

Item:

Saxa feraſque lyra mouit Rhodopeius Orpheus.

Quam Orphei artem ipſe Cicero de eloquentia interpretatur, quum ait de Inuent. *Quo tempore quidam magnus videlicet vir & ſapiens cognouit, quæ materia eſſet, & quanta ad maximas res opportunitas animis ineſſet hominum, ſi quis eam poſſet elicere & præcipiendo meliorem reddere: qui diſperſos homines in agris & in tectis ſilueſtribus abditos ratione quadam compulit in vnum locum & congregauit, & eos in vnamquamque rem inducens vtilem atque honeſtam, primo propter inſolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem, ſtudioſius audientes ex feris & immanibus mites reddidit & & manſuetos.* Quod ad *Homerum* pertinet, & ætas illius & patria auctorum ſententiis diſcrepat, quum eum Colophonii, Chii, Salamini, Smyrnæi ſuum ciuem eſſe confirmant, adde Fabricium Biblioth. Græc. Lib. II. c. I. p. 253. & Leonem Allatium de Homeri patria Lugd. Batau. 1640. 8. Voſſium

de

de Poetis Græc. p. 9. Borrichium p. 8. & Adrian. Baillet in Iugemens des Sçauans Tom. IV. p. I. p. 6. 90. Ingenium eius inluxit ſine exemplo doctisſimum poſt bellum Troianum, quum prolapſi eſſent anni centum & quinquaginta. Vosſius vero de Natura & Conſtit. Rhet. c. X. Homerum omnis doctrinæ fontem pro oratorum parente habet, quem & Hermogenes præſtantisſimum appellat Rhetorem, quem Demetrius, Longinus & alii eloquentiæ magiſtrum agnoſcunt, & de quo ipſe Cicero de clar. Orator. *Nec tamen dubito, quin habuerit vim magnam ſemper Oratio. Neque enim iam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Vlyſſi tribuiſſet Homerus & Neſtori, quorum alterum vim habere noluit, alterum ſuauitatem, niſi iam tum eſſet honor eloquentiæ, neque ipſe Poeta hic tam item ornatus in dicendo ac plane Orator fuiſſet, cuius etſi incerta ſunt tempora, tamen annis multis ante Romulum fuit,* Clericus Art. Critic. Tom. I. p. 337. Kriegkius de Peregrinat. Rom. academ. p. 10. Namque Poëſis multum facit ad culturam & conſeruationem eloquentiæ, quamue rhetori vtilis ſit & neceſſaria, licet non oſtendere: & poëtæ multum ex oratoria

pe-

petunt, multaque habent inuenta & ſenſa Rhetoricæ, prout Macrobius Saturn. Lib.I. c. XXIV. recte ſcribit, eiusque præclari ſunt cuſtodes. Immo vberrimam ſermonum ſegetem in Homero reperimus, qui ex perſona inluſtrium Ducum recitantur & tanta elegantia verborum ſuauique compoſitione conſpicui ſunt, vt horum vis in eorum, qui legunt, mentibus aut ſedandis aut excitandis exprimatur. Sic Achilles Patrocli manibus orationem dicauit, Iliad. VI. vt de Neſtore Iliad. I. v. 247. Menelao, Iliad. III, 209. Vlyſſe Iliad. III, 218. & aliis conticeſcam, quarum orationum exempla Homerus conſignata reliquit.

III. Poſt hos qui floruerunt in Græcia, quam plurimi ſunt, & partim tradiderunt præcepta rhetorices, partim ſtudioſe declamando operam eloquentiæ nauarunt. Qui primus litteris eloquentiæ animos aliorum formauerit, non adeo certo definiri poteſt, quod veteres auctores, ad quorum teſtimonia nobis confugiendum eſt, opinione ipſi diſcrepant. Inter homines primus, qui initia illa a diis immortalibus profecta augere cœpit, *Tiſias*

fuit, eiusque veſtigia legerunt *Traſimachus*, *Theodorus*, auctore Ariſtot. Repreh. Sophiſt. Libr. II. c. 8. med. Socrates apud Platonem in Phædr. p. 1239. Φεῦ, δεινὸς ἔοικεν ἀποκεκρυμμένην τέχνην ἀνευρεῖν ὁ Τισίας, ἢ ἄλλος ὅς τις δήποτ᾽ ὢν τυγχάνει, καὶ ὁπόθεν χαίρει ὀνομαζόμενος, *O quam callide abſtruſam artem adinueniſſe videtur Tiſias, vel quicunque alius fuerit vel quocunque alio cognomine delectetur.* Plinius Libr. V. cap. 39. originem artis huius *Cadmo Mileſio* vindicare videtur, quum ait: *Nec fraudanda Milletus eiue Cadmo, qui primus proſam Orationem condere inſtituit.* Sed quum Cadmi illius, Pandionis filii, nomen inter hiſtoriarum auctores eſt celebratiſſimum, & de vrbe patria, item tota Ionia libros quatuor compoſuit, Voſſius H. G. Libr. I. cap. I. p. 4. non eſt, vt Cadmus honoris huius particeps fiat. Accedit quod ipſe Plinius Libr. VII. cap. 56. famam hanc Pherecydi relinquat: *Proſam orationem condere Pherecydes Syrius inſtituit, Cyri regis ætate, hiſtoriam Cadmus Mileſius.* Pauſanias Corin-

rinthiacis commemorat quendam *Pittheum*, qui explicauerit artem dicendi, cuius librum ab Epidauro homine editum ipse euoluerit. Præter *Tisiam Corax* nescio quis a Cicerone ex Aristotele de orator. libr. I. c. 21. & Brut. c. 12. traditur, qui præcepta artis oratoriæ conscripserit, Clericus Art. Critic. Tom. I. p. 338. Ad eius nomen alludens Cicero Libr. III. c. 21. *Coracem*, inquit, *vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere in nido.* Magister fuit Tisiæ, cum quo pactum iniit, vnde origo prouerbii: *κακῦ κόρακος κακὸν ὠόν: mali corui malum ouum*, Erasm. de Adag. Chil. I. Cent. IX. n. 25. Vossius de Rhet. c. 9. Diogen. Laërt. in Empedoc. Libr. VIII. segm. 57. narrat *Empedoclem ῥητορικὴν εὑρεῖν rhetoricam inuenisse*; cui sententiæ & Quintilianus Libr. III. c. 1. Instit. Orat. fauet, *primus post eos*, inquiens, *quos poëtæ tradiderunt, monisse aliqua circa rhetoricen Empedocles dicitur.* Discipulus fuit & sectator Pythagoræ; præceptor vero Gorgiæ Leontini. A Plutarcho de vit. dec. Rhetor. *Antiphon* dicitur *πρῶτος*,

primus, qui ῥητορικὰς τέχνας ἐξήνεγκε, *oratoriae artis praecepta edidit.* Photius: πρῶτον δὲ αὐτὸν καὶ ῥητορικὰς συντάξασθαί φασι τέχνας, ἀγγὶ νῦν γεγονότα, adi Fabricium Biblioth. Graec. Libr. II. c. 26. p. 834. & Philostrat. de vit. Sophist. vit. Antiphontis, & Cresollium Theatr. Rhetor. Libr. I. c. 6. p. 26. De Aristotele Paschius Inu. Nou-Antiq. p. 73. *Quam artem attice, scienter, perite, apte, distincte & ornate dicendi Aristoteles professus est, primus scriptis ad Theodectem tribus libris, quibus perfectissime omnia, ex intima philosophia desumtis, argumentum executus est.* Namque Cicerone auctore Libr. II. c. 2. de Inu. veteres scriptores artis huius a Tisia repetitos in unum locum conduxit Aristoteles, & nominatim cuiusque praecepta magna conquisita cura perspicue scripsit, atque enodata diligenter exposuit. Quemadmodum hi momenta artis oratoriae litteris mandarunt, vt ista alumnis suis & eloquentiae cupidis traderent: sic alii declamando & compositione orationum affectabant nomen & gloriam, se dicendo valere. Ante

Ante *Antiphontem* multi laude hac iam clari fuere, vti *Menestheus*, qui contra Theseum dixit, Libanius Tom. II. p. 480. *Sophilus Rhetor* pater Antiphontis. Primus, qui orationes ſcriptas recitauit, traditur *Pericles*, ante quem littera nulla eſt, quæ quidem ornatum aliquem habeat, & oratoris eſſe videatur; Cicero Brut. c. 27. & Suidas Περικλ. adde Plutarchum vit. Periclis p. 156. Creſollium Libr. I. c. 6. p. 43. & Bælium Lexic. Philoſtratus Lemnius air. Sophiſt. Libr. I. f. 487. σχεδίων δὲ πηγὰς λόγων, οἱ μὲν ἐν Περικλέους πρώτου ῥυῆναι φασίν. ὅθεν καὶ μέγας ὁ Περικλῆς ἐνομίσθη τὴν γλῶτταν. Οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ Βυζαντίου Πύθωνος, ὃν Δημοσθένης μόνος Ἀθηναίων ἀνασχεῖν φασι θρασυνόμενον, καὶ πολὺν ῥέοντα. οἱ δὲ Αἰσχίνου φασι θρασυνόμινον, καὶ πολὺν ῥέοντα. οἱ δὲ Αἰσχίνου φασι τὸ σχεδιάζειν εὕρημα. τοῦτον γὰρ πλεύσαντα ἐς Ῥόδον παρὰ τὸν Κάρα Μαύσωλον, σχεδίῳ αὐτὸν λόγῳ ᾆσαι. ἐμοὶ δὲ, πλεῖστα μὲν ἀνθρώπων Αἰσχίνης δοκεῖ σχεδιάσαι πρεσβεύων τὲ, καὶ ἀποπρεσβεύων, συνηγορῶν τε, καὶ δημηγορῶν. καταλιπεῖν δὲ μόνους τοὺς συγγεγραμμένους τῶν λόγων. ἵνα τῶν Δημοσθένους φροντισμάτων, μὴ πολλῷ λίποιτο. σχεδίου δὲ λόγου, Γοργίας ἄρξαι. παρελθὼν γὰρ ἐς τὸ Ἀθηναίων θέατρον ἐθάῤῥησεν εἰπεῖν, προβάλλετε. καὶ τὸ κινδύνευμα

τοῦτο, πρῶτον ἀνεφθέγξατο, ἐνδεικνύμενος δή που πάντα μὲν εἰδέναι, περὶ παντὸς δ' ἂν εἰπεῖν, ἐφιεὶς τῷ καιρῷ, *Promptæ autem Orationis fontes e Pericle primum nonnulli promanasse dicunt. Quapropter lingua magna Pericles cognominatus est. Sed aliqui a Byzantio quodam Pythone: cuius audacem & nimium exuberantem orationem solus Atheniensium Demosthenes tolerasse fertur. Alii vero extemporaneam orationem inuentum Aeschinis fuisse asserunt. Quippe qui, cum Rhodum nauigasset, apud Mausolum Carium extemporali carmine cecinisse dicitur. Atque is omnium maxime in legatione, foro, & concione, ex tempore egisse mihi videtur Aeschines: & tantum Orationes reliquisse conscriptas, ne lucubrationibus Demosthenis multo inferior haberetur. In promta oratione Gorgias principatum obtinuit. Nam cum Atheniensium prodiisset in theatrum, proponite quodcunque libuerit, dicere ausus est. Atque primus tale periculum se subiturum professus est, ostendens se omnia scire, & de quaque re composite se extempore posse dicere.* A Platone dicitur πάντων τελεώτατος

ταῖος εἰς τὴν ῥητορικὴν γινέσθαι. perfectissimum fuisse oratorem. Ingenium eius floruit temporibus Thucydidis & Alcibiadis; suggestum adscensurus precatus est, ne quod verbum menti eius occurrat, quod populum posset offendere, Quintilianus XII. c. 9. Aelianus H. V. libr. IV. cap. 10. Multis veterum est opinio, quod Antiphon primus sermones elaborauerit, & ceteris gloria eloquentiæ præstiterit, Quintilianus Inst. Orat. III. 1. *Antiphon quoque & orationem primus omnium scripsit & nihilominus artem ipse composuit*, Plutarch. vit. dec. Rhetor. Photius Biblioth. Clemens Alexandr. 1. Strom. p. 308. Colomesius Opuscul. litter. p. 216. Hermogenes Libr. II. de formis p. 80. de eo inquit, quod poeticis vocabulis plenæ fuerint eiusdem orationes, addatur Laertius Libr. II. 46. p. 108. Vossius de Histor. Græc. Libr. IV. c. 7. p. 458. Quamquam veterum monumentis quibusdam mandatum sit, quod ante *Periclem*, *Pisistratus*, *Solon*, *Clistenes*, *Themistocles* eloquentiæ honore & fama flo-

 rue-

ruerint. *Isocrates* oratione de permutatione p. 506. monstrat, quod Solon primus omnium *Sophista* fuerit adpellatus: οὐκοῦν ἐπίγε τῶν προγόνων οὕτοι εἶχεν. ἀλλὰ τοὺς μὲν καλουμένους σοφιστὰς ἐθαυμάζον, καὶ τοὺς συνόντας αὐτᾶς ἐζήλουν τοὺς δὲ συκοφάντας πλείστων κακῶς αἰτιους ἐνόμιζον εἶναι. μέγιστον δὲ τεκμήριον, Σόλωνα εμὲν γὰρ τὸν πρῶτον τῶν πολιτῶν λαβόντα τὴν ἐπωνομίαν ταύτην προστάτην ἠξίωσαν τῆς πόλεως εἶναι: *nam eos qui sophistæ dicebantur, magni faciebant, eorumque familiares beatos iudicabant: Sycophantas autem, perniciosissimos hos existimabant. Cuius rei maximum signum illud est, quod Solonem, qui primus ciuium hoc cognomen sortitus fuit, gubernatorem ac principem ciuitatis esse voluerunt.* adde Wolfium p. 707. Meursium in Solone p. 9. Themistium Orat. IV. p. 40. Io. Rosinus & Ger. Io. Vossius Solonem auctorem ritus defunctorum manibus parentandi, faciunt, auctoritate Antisthenis & Plutarchi freti, vid. Petrum Fabrum Lib. III. c. 13. semestr. quamquam id de lege forsan & consuetudine intelligendum est. De Themistocle, cuius res gestas persecuti sunt Hero-

do-

dotus, Thucydides, Diodorus, Plutarchus, Nepos ac Iuſtinus, ait Cicero d. l. *Poſt hanc ætatem aliquot annis, vt ex Atticis monumentis poteſt perſpici, Themiſtocles fuit: quem conſtat cum prudentia tum etiam eloquentia præſtitiſſe.* Aetati Periclis æquales erant *Alcibiades*, *Critias*, de cuius dictione Dionyſius Halic. & ſcriptis Meurſius Bibl. Attica; *Theramenes*, *Ephialtes*, Pericli amicus, de quo Plutarchus p. 154. 157. Sed vt intellectum eſt, quantam vim haberet accurata & facta quodammodo oratio; tum etiam magiſtri dicendi multi ſubito exſtiterunt. *Leontinus Gorgias* in honore magno fuit, diſcipulus *Empedoclis; Iſocratis & Alcidamantis* præceptor. Orator hic magnus laudatur, & certe pater fuit Sophiſtarum, Cicero libr. II. de fin. ab init. & Libr. I. de Orat. c. 93. Creſſollius Theatr. veter. Rhet. Libr. I. c. 5. Hic eo proceſſit audaciæ, vt de omnibus, quæcunque rogaretur, etiam promte reſpondere iactitaret, Philoſtratus Libr. II. ab init. Valerius Maximus Libr. VIII. c. 15. Laudat eum Philoſtratus I. de Soph. p. 446, perſtringit vero Plato in Gorgia.

Orationes ejus binæ supersunt, quas *Aldus* & H. *Stephanus* edidit; in romanum autem sermonem *Guilielmus Canterus* transtulit. *Andacides* oris quoque floruit virtute, cuius rei orationes, quæ exstant, quatuor testes sunt luculenter, vid. Fabricium Bibl. Græc. Libr. II. c. 26. p. 839. His adjungimus *Thrasymachum Chalcedonium*, de quo Diodorus περὶ τοῦ Δημοσθένους δεινότητος f. 164. 165. τρίτη λέξεως ἦν ἡ μικτή τε καὶ σύνθετος ἐκ τούτων τῶν δυεῖν. ἣν ὁ μὲν πρῶτος ἁρμοσάμενος καὶ καταστήσας εἰς τὸν νῦν ὑπάρχοντα κόσμον. εἴτε Θρασύμαχος ὁ χαλκηδόνιος ἦν, ὡς οἴεται Θεόφραστος, εἴτε ἄλλος τις, οὐκ ἔχω λέγειν. οἱ δὲ ἐκδεξάμενοι καὶ ἀναθρέψαντες, καὶ οὐ πολὺ ἀποσχόντες τοῦ τελειῶσαι, ῥητόρων μὲν, Ισοκρατης ὁ Ἀθηναῖος ἐγένετο. Φιλοσόφων δὲ Πλάτων ὁ Σωκρατικός. *Tertium genus dictionis erat mixtum & compositum ex illis duobus: quod quidem primus num inuenerit produxeritque in hunc mundum vel Thrasymachus Chalcedonensis, ex Theophrasti sententia, vel alius quispiam non possum affirmare. Qui vero hos genus dicendi receperunt & excoluerunt eiusdemque non abstinuerunt perfectione, fuere ex Rhetoribus quidem Isocrates Atheniensis, ex Phi-*

Philosophis autem Plato Socraticus. Protagoras Abderites filius Menandri & Democriti auditor, primus mercede rhetoricam docuisse, litteris veterum mandatus est. Diogenes Laertius Libr. IX. §. 51. & A. Gellius V. 3. Hunc Plato πρέτερον Γοργίε καὶ Προδίκε, *Gorgia & Protico anteriorem fuisse*, contendit. Meminit adhuc Cicero *Prodici* cuiusdam, de quo Cresollius Lib. I. cap. 5. p. 37. *Chii*, *Hippiæ Elei*, quos vero, breuitati intenti intactos relinquimus, & ad *Cephalum*, *Lysiæ* patrem & ad ipsum *Lysiam* animum nostrum aduertimus. De *Cephalo* adi Tzetz. Chil. VI. hist. 34. p. 298. & Suidam. *Lysiam* Cicero egregiis ornat testimoniis ad Brut. c. 9. *Tum fuit Lysias ipse quidem in caussis forensibus non versatus, &c.* add. in Orat. c. 9. Hæc repetit Quintilianus Libr. X. c. 1. Eius Orationes quædam, de quibus consulas Fabricii Biblioth. Græc. d. l. in opere Aldino extant. De *Isocrate* Vellejus Paterc. l. 16. 5. *Quid ante Isocratem, quid post eius auditores eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit? adeo quidem ætatum angustiis temporum, vt nemo*

mo memoria dignus alter ab altero videri nequiverint. Cicero in Bruto: *Exſtitit igitur iam ſenibus illis, quos paullo ante diximus, Iſocrates, cuius domus cuncta Græciæ quaſi ludus quidam patuit, atque officina dicendi, magnus orator, & perfectus magiſter, quamquam forenſi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem meo iudicio, eſt poſtea conſecutus, iis & ipſe ſcripſit multa præclare & docuit alios.* Plinius H. N. VII. c. 30. teſtatur, vendidiſſe vnam orationem viginti talentis. Audiuit *Prodicum Ceum*, *Protagoram*, *Gorgiam Leontinum*, *Tiſiam* Syracuſanum & *Theramenem* Rhetorem. Ipſe eloquentiæ diſciplinis inſtituit *Hyperidem*, *Iſæum*, *Xenophontem*, *Theopompum*, *Naucratem*, *Ephorium*, *Theodectem*, *Philiſeum*, *Demoſthenem*. adde Plutarchum vit. Iſocr. Laertium III. 2. Suidam, Dionyſ. Halic. de antiqu. Rhetor. *Alcidamantis* cuiusdam mentio fit apud Laërt. in Protag. & a Quintiliano III. cap. 1. inter oratores numeratur: Tuſcul. Cicer. c. 48. ſcripſiſſe mortis laudationem diſcimus. Iſæus diſcipulus *Lyſiæ* & *Iſocratis*, magiſter vero *Demoſthenis*,

nis, fuit, de quo Plutarchus Libr. de clar. Orat. Adhuc alius fuit Isæus rhetor, isque iunior, de quo Plinius II. epist. 3. n. 1. *Magna Isæum fama præcesserat, maior inuentus est.* Iuuenalis Satir. III. 74. *Sermo, promtus & Isæo torrentior*; quæ vetus Scholiastes de iuniore interpretatur; licet & de antiquiore Demosthenis præceptore possint intelligi. *Plato* ætate sua eloquentiæ ac philosophiæ laude claruit præcipua, vt Diodorus Siculus Libr. XII. declarat: æmulabantur eum Sophistæ multa industria diligentiaque, Gellius Libr. I. c. 9. Vossius de rhetor. p. 76. Eum præter Isocratem audiuit Lycurgus, Atheniensis rhetor, de quo videas Plutarchum in vita ejus & Fabricium d. l. p. 861. Verum maximam facundiæ laudem sibi conciliarunt, omnium, qui litteris oratoriæ imbuti sunt, consensione, *Demosthenes* & *Aeschines*, quorum merita ex testimoniis cognoscere possumus, quæ Hieronymus Wolfius vberrime conlecta operibus præmisit, adde Ren. Rapini comparat. Demosthenis cum Cicerone & Acta Erud. 1686. p. 192. Cicero de clar. Orat. plures addit: *Huic Hyperides proxi-*

ximus & Aeschines fuit & Lycurgus & Dinarchus & is, cuius nulla extant scripta, Demades, aliique plures. Aristoteles, Platonis auditor, ea fama eloquentiæ viguit, vt in ore omnium & laudis voce fuerit versatus, quasi aureum orationis flumen effunderet, vide Fabricii Bibl. Græc. Libr. III. c. 6. Hactenus de antiquis Græcorum oratoribus. Plures sunt, inprimis Atheniensium, qui addi potuissent, vel ex Quintiliano & Suida, qui alios iuniores rhetores Atticos in Νικίστρατος memorat, *Nicostratum, Dionem Chrysostomum, Polemonem, Aristidem, alterum Polemonem, Horodem, Aeschinem;* sed non est, vt adhuc sim copiosior. Ante Demosthenem quoque celebres Athenis fuerunt oratores, prout ipse Demosthenes Orat. de Coron. p. 344. f. fatetur: καὶ πολλοὶ παρ' ὑμῖν, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, γεγόνασι ῥήτορες ἔνδοξοι καὶ μεγάλοι πρὸ ἐμοῦ κ. τ. λ. ἕτεροι μυρίοι; *Atqui multi apud vos, Athenienses, fuerunt oratores celebres, & magni ante me:* Callistratus ille, Aristophon, Cephus, Tarasybulus, *innumeri alii*; adde Ciceron. Lib. II. de Orat. cap. 22. & 23.

IV. Qui

IV. Qui in dicendo ornati erant, ac ſermonis vbertate valebant *Philoſophi*, *Sophiſtæ* & *Rhetores* appellati ſunt. Vt ſapientiæ ſtudium ex Aegypto & aliis regionibus in Græciam migrauit, cultores illius & qui ei dicabant animos, σοφοὶ dicebantur, quo nomine deinde & a Romanis omnes appellati ſunt, qui arte aliqua excellebant, adi Muretum in primam Ciceronis Tuſculanam. Ferrar. de Acclamat. l. 16. III. 12. Voſſium de Imit. c. 8. n. 2. Creſoll. Theatr. Rhetor. III. 20. Lipſium epiſt. ad Belg. Cent. II. 48. & Samuel. Pitiſcum Lexic. Antiqu. Roman. Tom. II. p. 818. Quod nomen quum ſuperbiæ plenum exiſtimaret Pythagoras, maluit ipſe φιλόσοφος, *ſtudioſus ſapientiæ* nuncupari, quod nomen deinde conſeruatum fuit & propagatum. Verum qui litteras ſapientiæ tractabant, & quibus cultura illius curæ cordique erat, σοφισαὶ quoque ſunt nominati. Diogenes Laërtius de vit. Philoſ. proem. p. 8. οἱ δὲ σοφοὶ, καὶ σοφισαὶ ἐκαλοῦντο. καὶ οὐ μόνοι, ἀλλὰ καὶ οἱ ποιηταὶ σοφισαί. καθὰ καὶ Κρατῖνος ἐν Ἀρχιλόχῳ τοὺς περὶ Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδον ἐπαινῶν, οὕτως καλεῖ, *Ipſi tamen ſapientes*

tes Sophistæ etiam sunt dicti. Neque hi solum, verum Poëtæ quoque, Sophistarum appellatione honorantur. Nam Cratinus in Archilocho Homerum & Hesiodum admiratus ita illos vocat. Philostratus de vitis Sophistarum Lib. I. f. 489. σοφιςὰς δὲ ἁ παλαιοὶ ἐπωνόμαζον, ἐ μόνον τῶν ῥηλόρων τὲς ὑπερφωνᾶντάς τε καὶ λαμπρὲς, ἀλλὰ καὶ τῶν φιλοσόφων τὲς σὺν εὐρόᾳ ἑρμηνεύοντας; *Veteres igitur non modo nobiles clarosque rhetores, sed philosophos etiam, facunde se explicantes, Sophistas appellarunt.* Tertullianus c. 34. de an. *Pythagoram Samium Sophistam*; Cratinus procemio Diog. Laërt. Homerum & Hesiodum non aliter vocat, & Pindaro Od. XIII. ἀρχαῖα σοφίσματα sunt ab antiquis *inuenta sapientia :* Sophistas nominabant etiam Theologos, medendi artis expertos, alios sapientes, somniorum interpretes, coniectores. adi Cresollium Theatr. Rhetor. Libr. I. & Cl. Kriegk. de Sophistarum Eloquentia p. 6. Hi Philosophi operam quoque eloquentiæ nauarunt, & plurimi Sophistarum retenta philosophia in artis huius disciplinis studia sua operamque loca-

cabant, Quintil. Inst. Orat. procem. p. 4. Philostratus Lemnius Sophistarum vitas describens, duo eorum genera constituit, quorum alterum eorum est, qui quum profiterentur Philosophiam, ob singularem in dicendo facultatem inter Sophistas numerati sunt. Quorum ex numero fuisse Dionem ait, & cum eo *Carneadem* Atheniensem, *Leonem Byzantinum* & alios pene innumeros recenset. vid. Philostratus de Vitis Sophistarum p. 486. 487. 588. Artis oratoriæ vero Magistri Sophistæ in primis appellati sunt, Philostr. in vita Eudoxi. Εὔδοξος μὲν ὁ Κνίδιος τοὺς ἐν Ἀκαδημίᾳ λόγους ἱκανῶς ἐκφροντίσας, ὅμως ἐνεγράφη τοῖς σοφισταῖς ἐπὶ τῷ κόσμῳ τῆς ἀπαγγελίας, καὶ τῷ σχεδιάζειν εὖ, *Eudoxius Cnidius satis Orationes in Academia commentatus inter Sophistas adnumeratus est, partim ob professionis ornatum, partim quod ad subito dicendum pulcre se accingeret.* Cresollius Theatr. Rhet. Libr. I. c. 1. p. 9. *Tandem* σοφιστοῦ *nomen*, inquit, *in iis conquieuit, qui docerent eloquentiam quorum plurimi singulis ætatibus summa in ea re gloria præstiterunt & monumentis annalium celebrantur.* Sic dicti

sunt *Sophistæ Pericles*, *Protagoras*, *Gorgias*, *Aeschines Prodicus*, *Hippias Eleus*, *Aristoteles*. Quanquam sic nomen Sophistarum magistris & sapientiæ & eloquentiæ fuit commune; Socrates tamen, quum consuetudinem rhetorum fugerit, effecit, vt a Philosophis seiuncti Sophistarum nomen soli retinerent. Cicero Libr. III. de Oratore: *namque veteres illi vsque ad Isocratem, omnem omnium rerum, quæ ad res hominum, quæ ad vitam, quæ ad virtutem, quæ ad rempublicam pertinebant, cognitionem & scientiam cum dicendi ratione iungebant: postea dissociati a Socrate, dissecti a doctis, & deinceps a Socraticis item omnibus, philosophi eloquentiam despexerunt, oratores sapientiam. neque quidquam ex alterius parte tetigerunt, nisi quod illi ab his aut ab illis hi mutuarentur: ex quo promiscue haurirent, si manere in pristina communione voluissent.* Horum sophistarum pater dicitur *Gorgias Leontinus*, vt supra monui. *Rhetorum* denique nomen apud Græcos valuit. Non ignoro, quod multi inter *Rhetorem & Sophistam* differentiam fuisse adfirment, sed

Pla-

Plato Gorg. p. 520. ταυτόν ἐςὶν σοφιςὴς καὶ ῥήτωρ ἢ ἐγγύς τε καὶ παραπλήσιον, *idem est Sophista & rhetor, aut proximum quid atque assimile*, adde ibid. p. 465. & Vossium de Nat. & Constit. Rhet. c. 1. Marius vero Victorinus procem. exposit. in Rhet. *Rhetor est qui docet litteras, atque artis traditor est eloquentiæ. Sophista est, apud quem dicendi exercitium discitur. Orator est, qui in caussis priuatis ac publicis plena & perfecta vtitur eloquentia.* Sed Cresollius d. l. Libr. I. c. 2. p. 17. *Verum cum ῥήτωρ non modo apud Græcos eum significet de schola politum, & etiam in orando perfectum; sed præterea illum, qui non minus quam Sophistá ad docendam iuuentutem & aperiendos eloquentiæ fontes adhiberetur, qua ratione inter se differrent quærebam.* Mentionem facit Cresollius adhuc alius discriminis, cuius vero haud diligenter ratio habita fuit, multo minus dignum est, vt copiose de eo edisseramus. Cicero Libr. I. cap. 18. de Oratore. *Sed tum maxime tamen hoc significabat, eos, qui rhetores nominarentur, & qui dicendi præcepta traderent, nihil plane tenere, neque pos-*

posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inuenta didicisset.

V. Necesse quidem est, vt de ipsa horum eloquentia, eiusque natura disquiramus; sed præstitit id præter Clericum Art. Critica T. I. p. 341. Cl. Kriegkius de Sophistarum eloquentia adeo feliciter, vt nihil ingenio meo relictum fuisse videatur. Horum elocutionem, inuentionem, finem orationis, alias scientias, quas eloquentiæ iunxerunt, luculenter executus est, vt legentium animos non parum delectet, nec minus suauitate trahat adficiatque. Sedes & domicilium huius eloquentiæ erant Athenæ, in quibus summa dicendi vis & inuenta est & perfecta: in hac ipsa ciuitate profecto nulla vnquam vehementius, quam eloquentiæ studia viguerunt, vt Cicero Libr. I. de orator. cap. 4. loquitur. Diodorus Siculus: Ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν παιδείαν ἐπὶ πολὺ προέβη, καὶ φιλοσοφία προετιμήθη καὶ ῥητορικὴ παρὰ πᾶσι μὲν Ἕλλησι. μάλιστα δὲ Ἀθηναίοις φιλόσοφοι μὲν γὰρ οἱ περὶ τὸν Σωκράτην καὶ Πλάτωνα καὶ Ἀριστοτέλην, ῥήτορες δὲ Περικλῆς καὶ Ισο-

Ἰσοκράτης, καὶ οἱ τούτου μαθηταί. *Ita ceterarum quoque doctrinarum studia eximios progressus fecere: Præcipuus tamen honor Philosophiæ tributus est & eloquentiæ, cum apud omnes Græcos populos, tum Athenienses inprimis. Inter Philosophos excelluerunt Socrates, Plato, Aristoteles; inter oratores Pericles & Isocrates, & discipuli ab hoc instituti.* Velleius Paterculus. Libr. I. c. 18. *Transit admiratio a conditione temporum & ad vrbium. Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentia quam vniuersa Græcia, vberiusque floruit, adeo, vt corpora gentis illius separata sint in alias ciuitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes,* adde Ciceronem in Bruto, Emmium de republica Athen. p. 7. Meursium de fortun. Attic. c. 11. & Græuium, magnitudinis caussa semper nominandum ad Ciceron. pro Flacco. cap. XXVI. p. 264. Hinc quum Romani filios in Græciam ablegarent, Athenas sedem ac templum disciplinarum deligebant, quod ibi dissertissimorum hominum vberrimus esset prouentus. Cicero primum Athenis ad eos accedebat, qui eloquentiæ gloria proemine-

nebant,& ad latus *Demetrii Syri*,non ignobilis dicendi magiſtri erat: deinde *Diodorum Stoicum* diligentiſſime frequentauit in philoſophia. Verum enim vero duo præcipue loca Athenis erant, *Academia & Lyceum*, Conring. Antiquit. Academic. p. 9. Quod ad Academiam attinet, erat ædificium nobile, amplum & amœnum & ibi ſchola Platonis, vnde ſectatores eius *Academici* dicti. Pauſanias cap. XXIX. ἐγγυτάτω ἢ Ἀκαδημία, χωρίον ποτὲ ἀνδρὸς ἰδιώτου, γυμνάσιον ἢ ἐπ' ἐμοῦ, *Proxime vrbem eſt Academia, priuati olim hominis poſſeſſio, mea ætate gymnaſium.* Vid. Cellarii N. O. A. Libr. II. cap. 13. p. 1150. In *Lyceo* fuit *Peripatus*, Ariſtotelis deambulatio. Harpocrat. ἓν τῶν παρ' Ἀθηναίοις γυμνασίων ἐστὶ Λύκειον, *vnum ex gymnaſiis Atheniensium Lyceum eſt.* Non dubium eſt, quin & in *Academia* & *Lyceo* publice Oratoriæ partes præceperint, licet ſæpius id in *Lyceo* contigiſſe videatur. Cicero in Orat. c. 20. *Fateor me Oratorem non ex Rhetorum officina, ſed ex Academiæ ſpatiis exſtitiſſe.* Athenis erat diuiſio rhetorum ſeu Sophiſtarum, & quidam

erant

erant & vocabantur εὐτελέστεροι, quorum ius & auctoritas subselliis e throno definiebatur; alii δυνατώτεροι, praestantiores, qui orbem uniuersum sic inter se diuidebant, vt quaedam prouinciae huic; aliae illi discipulos traderent, Julius Pollux Lib. IV. c. 6. & Quintilian. Instit. Lib. II. c. 3. Honorarium Oratorum & Sophistarum commune Athenis fuit decem millia drachmarum, Lucianus in Eunucho p. 841. & Quintilian. Lib. III. c. 1. Quamquam Cicero in Bruto ait: *Hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum*; aliae tamen ciuitates quoque fuerunt, in quibus illud altum, conseruatum & excultum fuit. *Apollonia* inprimis offert se, vrbs nobilissima, quo C. Caesar Octauianum Caesarem pacatis ciuium bellis, ad erudiendum liberalibus disciplinis misit, Vell. Paterc. II, 59. Studiis eloquentiae magnus honos fuit, nec defuerunt rhetores, vt adeo magnus semper eorum prouentus exstiterit, quorum pectora cupiditate artis huius discendae flagrabant. De Augusto scribit Dio lib. XLV. p. 271. & *Apollodorus* nobilis est, de quo

Lucianus in Macrobiis p. 475. Strabo Lib. XIII. p. 430. addatur Jonſius de ſcript. Hiſtor. philoſ. Lib. II. c. 17. p. 204. De *Megaris*, vrbe Græciæ plura doctores geographicarum rerum & Kriegkius ſubnotarunt. Ceterum nihil nobis eſt, quod Ciceroni opponere poſſumus, quum ait: *Quis autem Argiuum Oratorem, aut Corinthium aut Thebanum ſcit fuiſſe temporibus illis?* & Vellei. Paterc. I. 18. *Neque ego hoc magis miratus ſim, quam neminem Argiuum, Thebanum, Lacedæmonium oratorem aut dum vixit auctoritate, aut poſt mortem memoria dignum exiſtimatum. quæ vrbes & multa aliæ talium ſtudiorum fuere ſteriles, niſi Thebas vnum os Pindari inluminaret.* Reliqua quæ ſuperſunt de ſophiſtis & rhetoribus Græcorum, luculenter declarant Creſollius d. l. Voſſius de natur. rhetoric. Morhofius Lib. VI. cap. 2. Polyh. Litter. & Kriegkius de ſophiſtarum eloquentia, quos cupidi hiſtoriæ harum litterarum adire poſſunt.

VI. Extra Græciam magna dicendi ſtudia fuerunt, maximique his artis diſciplinis habiti honores, vid. Cicer. in Brut.

Iam

Iam possem recensere loca Siciliæ, Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ, Africæ, Asiæ, Thraciæ; sed vereor, ne commentatio excedat propositam formam; adhæc larga occasio de illis copiose edisserendi in libro nobis erit, quem de *litteratis romanorum prouinciis* meditamur. Veniamus ad *Romanos*, qui hac eloquentiæ facultate eminentissimi & adeo clari fuerunt, vt aliis gentibus palmam sane dubiam reddiderint. Romani itaque eloquentiæ, quæ ex Græcia in Latium migrauit, primas detulerunt, & illi omne studium a pueris consecrarunt, ita vt eam philosophiæ & iurisprudentiæ anteferrent. Vt primum de illis disquiramus, quorum studia & merita clara sunt, ante Punica bella haud inuenimus, quos ponamus in numero oratorum. Memorantur quidem orationes *Menenii Agrippæ*, Liu. II. Florus II, 23. *M. Vallerii Corucini*, id. Liuius, *Appii Claudii*, *C. Fabricii*, *M. Curii*, *M. Popili:* sed recte Cicero in Bruto cap. XIV. *sed hos oratores habitos esse, aut omnino tum vllum eloquentiæ præmium fuisse,*

 nihil

nihil ſane mihi legiſſe videor, tantummodo coniectura ducor ad ſuſpicandum; adi Cellarii noſtri Diſſertatt.academicas, quas iunctas emiſimus p. 346. Primum Cicero cap. XV. ponit *M. Cornelium Cethegum*, conſulem, Ennii præceptorem; de quo Voſſius de Poet. Latin. p. 4. Proximus huic ſucceſſit Cenſorius *Cato.* Cicero: *Hunc igitur Cethegum conſecutus eſt ætate Cato, qui annis XII. poſt eum fuit conſul. Nec vero habeo quemquam antiquiorem, cuius quidem ſcripta proferenda putem, niſi quem Appii Cæci oratio hæc ipſa de Pyrrho, & nonnullæ mortuorum laudationes forte delectant: & hercules hæ quidem exſtant.* Quinctilianus Lib. III. cap. I. *Romanorum primus, quantum ego quidem ſciam, condidit aliqua in hanc materiam M. Cato ille Cenſorius, poſt M. Antonius incoauit.* Solus fere eſt, cuius fetum proſa oratione æuo illo ſuperſtitem habemus: clari enim ſunt libri *de re ruſtica; Originum* & aliorum ſcriptorum, quorum fragmenta apud A. Gellium & priſcos grammaticos Feſtum, Nonnum, Chariſi-

um

um conligantur, vid. Plinium VII, 27. XXV, 2, Nepotem vit. eius; Plutarchum Catone Mai. Valerium Maximum VIII, 7. Victor de viris inlustr. c. 47. Fabricium bibliothec. latin. p. 48. Caue, ne Catonem hunc cum *M. Porcio Catone* Vticensi seu *Catone minore* confundas, de quo Cellarius Programmat. p. 387. vberius edisserit. Huic adiungimus *Sergium Sulpicium Galbam*, Catoni Censorio æqualem, de quo Cicero I. de Orat. cap. X. *Equidem Serg. Galbam memoria teneo, diuinum hominem in dicendo.* Et extremo de Claris Orat. *Galba fuit inter tot æquales vnus excellens, cui & Cato cedebat senior, & qui temporibus illis ætate inferiores fuerunt; Lepidus postea, deinde Carbo.* Præter hos maior numerus oratorum sese proferebat, qui a Cicerone in Bruto laudantur, *C. Lælius, P. Scipio Æmilianus*, vterque *Gracchus, C. Carbo, Q. Catulus, M. Drusus* & alii. Vell. Patercul. II, 9. *Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Æmilianus, Læliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius, Carbo Papirius. Nec*

præ-

prætereundus Metellus Numidicus, & *Scaurus*, & *ante omnes L. Crassus* & *M. Antonius. Quorum ætati ingeniisque successêre C. Cæsar Strabo*, *P. Sulpicius.* Quo propiores vero *L.Crassus* & *M. Antonius* ætate Ciceroni; eo illustriores etiam atque ornatiores exstiterunt, de quibus vide Ciceronem in Brut. cap. XXXVII. Clarissimum vero lumen sicut eloquentiæ, ita præceptis quoque eius dedit *M. Tullius Cicero*, sub quo principe vniversa dicendi vis erupit, Velleius Patercul. I, 17. Heic in Ciceronis merita, quæ in eloquentiam ad maiorem elegantiæ locum euehendam contulit; latius excurrere, superuacaneum esse existimo, nec copia temporis, quæ nobis relicta est, tanti rei sufficit. De libris oratoriis, quos Cicero conscripsit, & in quod tempus conueniant, adi Schurzfleischium nostrum de auctoritate rhetoricorum ad Herennium n. 4. Eodem tempore floruit *Crispus Sallustius*, de cuius oratoriæ facultate eo minus dubitamus, quo orationes, quas operi suo interposuit, de hac re eo magis testes sunt locupletes,

B.C.

B. C. cap. XX, LI, LII. B. I. cap. XIV, qua Adherbalem inducit loquentem & indignationem ſenatus romani in Iugurtham concitantem, adde Krebſium de imitatione verb. & rerum p. 61. Inter oratores locum quoque, tametſi non magnum ſibi fecerunt *Pompeius Magnus*, quem Vell. Paterc. II, 29, 3. *eloquentia medium* vocat, *Seruius Sulpicius*, *C. Caſſius*, *Trebonius*, *Plancus*, *Cœlius* & alii, quorum epiſtolæ inter Ciceronianas ſeruantur. Hoc ſeculum magnum quoque prouentum poëtarum tulit, qui eo magis in numero oratorum habendi ſunt, quo maiori vinculo & ars poeſeos & eloquentiæ coniuncta eſt adeo, vt ſine detrimento vtriusque haud diuelli & ſeparari queant. Principes ſunt meritis ſuis *Virgilius*, *Horatius*, *Ouidius*; vt de *Catullo*, *Tibullo*, *Propertio*, *Manilio*, *Pedon. Albinouano* taceam, quum illorum ingeniis haud æquales ſint, adde Voſſium, Borrichium, Baillet & alios. Numerus tantum poeticus ab oratorio differt, nec poetæ tam purioris latinitatis, vt proxime hoc illuſtratum dabimus, culto-

cultores sunt; sed quis, quæso oratoriæ facultatem vimque dicendi illis abrogabit? Tempore Augusti eminuit in historicis quidem *T. Liuius Patauinus*; sed tanta differendi vbertate præstitit, vt inter principes rhetorum poni mereatur, cui Quintilianus Lib. X. cap. I. *lacteam vbertatem* tribuit, eumque Herodoto comparatum, dicit *cum in narrando miræ iucunditatis, clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari potest, eloquentem. Sic enim ducere omnia cum rebus tum personis accommodata, & adfectus, præcipue eos, qui sunt dulciores, neminem historicorum commendare magis.* Et Lib. VIII, cap. I. *miræ facundiæ vir* dicitur. *Asinius Pollio*, cuius inuidia Liuii meritis multum voluit detrahere, clarissimus quoque Ciceronis & Augusti temporibus fuit, nec eloquentiæ rudis. Ab excessu Augusti paullatim eloquentia decidit, prout latinitas quoque inclinatior quodammodo facta est. Seneca præf. lib. I. Controuersiarum: *Vt possitis æstimare, in quantum quotidie ingenia decrescant, &*

nescis

nescio qua iniquitate naturæ, eloquentia se retro tulerit; quidquid Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem nostris studiis attulerunt, tunc nata sunt: in deterius deinde quotidie data res est. Ex seculo igitur argenteo, vt aiunt, inter rhetores & oratores numeramus *Velleium Paterculum, Marcum Senecam, Lucii* patrem; *Fabium Quintilianum, Plinium* Iuniorem; ex poetis *M. Anneum Lucanum; Valerium Flaccum & Silium Italicum. De Velleii Paterculi* stilo Cellarius præfat. ad eum ita iudicat: *Stilus Velleii, quamvis non vbique est historicus, sed oratoris sapit ingenium; tamen nec ideo posthabendus, sed commendandus magis est, quia plus ad orationes aut similes sermones quam ad integras historias scribendas adolescentes adducuntur. M. An. Seneca* auctor est Controuersiarum & Suasionum; *Quinctilianus* vero Institutionum orator. & declamationum, quarum multæ extant: De eo Martialis lib. II. epigr. 90.

Quin-

Quintiliane, vagae moderator summe iuuentae
Gloria romanae, Quintiliane, togae.

Fuit Hiſpanus & Romæ multis annis rhetoricen docuit, vid. Gunth. latin. reſtit. P. I. append. p. 126. 127. *Plinius*, qui *Traiano* panegyricum ſermonem dicauit, fuit eloquentiſſimus virorum, vt Buchnero de comm. rat. dicendi p. 52. audit, adi Conradum Lycoſthenem, Io. Mariam Catanæum, Conrad. Rittershuſium, Iacobum Thomaſium & Chriſtophorum Cellarium in vit. *Lucanus*, inquit Cellar. Prol. ad Cur. poſt. p. 30. *poeta ardens & concitatus, & ſententiis clariſſimus, & vt dicam, quod Fabius X. cap. 1. ſentit, magis oratoribus, quam poetis adnumerandus. Nihil enim fabulis inuoluit, vt fere poetae ſolent; ſed ciuile bellum ad fidem hiſtorice perſcribit, vt tamen ſuauitate poeticam & heroicam maieſtatem aequaliter ſeruet. Valerius Flaccus* eloquens quoque & ornatus; & *Silius Italicus* religioſiſſimus Virgilii diſſerti imitator fuit. Poſt æneo latinitatis ſeculo ex tenebris

nebris se quodammodo emersit clarissimosque tulit oratores, *Lactantium*, præter anonymos Panegyristas *Mamertinum*, *Nazarium*, *Eumenium*, & *Theodosii* imperio *Latinum Pacatum*, *Aurelium Symmachum*. Posthac oratoria ars, vt & ceteræ liberales litteræ, inruentibus barbarorum gentibus, pristinum splendorem solidamque dignitatem amiserunt. Hæc de ipsis oratoribus sufficiant; plura addere, inprimis de illis, quorum orationes perierunt, supersedeo: adde Vossium de Natura rhetorices; 4. cap. 14. 15. & Morhof. Lib. IV. cap. 11. 12. 13. 14. Polyh. Litter. Fuerunt enim viri dissertissimi, de quorum fetibus vero posteritas nihil conseruauit; quo pertinent *Q. Hortensius*, *C. Curio*, *C. Licinius Caluus*, *M. Brutus*, *M. Cœlius*, *M. Callidius*, *C. Iul. Cæsar*; tempore Augusti *M. Valerius Messala Coruinus*, *C. Asinius Pollio*, de quo supra, *M. Porcius Latro*, *T. Cassius Seuerus*, *T. Labienus*, *Sext. Iul. Gabinianus*, *C. Asinius Gallus*, *Iunius Gallio*, & alii. De auctoribus Rhetoricorum ad Herennium & Dialog. de caussis corrupt. eloquentiæ ali-

d am

am occasionem disputandi nobis reseruauimus. Heic non intactum relinquo SC factum *Fannio Strabone & Valerio Messala* consulibus, (quorum consulatum Theod. I. ab Almeloueen Fast. Cons. Lib.II,p.99. in annum V. C. IↃXCIII. incidisse iudicat,) de philosophis & rhetoribus, VTI ROMÆ NE ESSENT, Suetonius de clar. Rhet. cap. I. & A. Gellius libr. XV. cap. II. Hoc iterum sub tempus L. Crassi eodemque auctore factum est, Latinos rhetoras vrbe expulsos esse, vid. Sueton. dict. loc. & Cellarium differt. academic. p. 348.

VII. Hi cultores eloquentiæ & magistri *Oratores, Rhetores & Sophistæ* dicebantur. Inter *Rhetorem & Oratorem* olim differentiam fuisse, Polydorus Vergil. libr. I. cap. XIV. extr. tradit: *Orator est, qui caussas agit; rhetor, qui rhetoricen profitetur.* Marius Victorinus expos. in I. Rhetor. ad hæc verba. *Verum Oratori minimum illud est, de arte loqui &c. Orator duo habere debet, vt artem tradat dicendi, vt ipse ex arte dicat: sed officium hoc verum est, vt ex arte dicat. Illud*

au-

autem accidens, vt artem dicendi tradat, quod rhetoris officium solum est. Hinc Cicero de Officiis I, 1. *Proprium oratoris est, apte, ornate & distincte dicere.* vide Vossium de nat. & constit. Rhet. cap. 1. Sed. Erasmus Schmidius ad Pindarum Pyth. d. 9. p. 191. *Estque ῥήτωρ, vt hoc etiam addam, Orator. Sic* Δημοσθένης ῥήτωρ. Αἰσχίνης ῥήτωρ. *Scire itaque per quam velim, quanam probata auctoritate, Orator sit, qui orationes conscribat: Rhetor vero, qui præcepta artis oratoræ tradat. Sane hos σοφιςὰς dictos fuisse scio.* Oratores vel *caussidici* erant, seu *forenses*; vel oratores *priuati*: illi agebant caussas publicas declamando; hi vero rhetoricam & eloquentiam docebant magnatum liberos. Sidonius Lib. V. epist. 5. *Pueritiam tuam competenter scholis liberalibus memini imbutam, & sæpe numero acriter eloquenterque declamasse coram oratore, satis habebo compertum.* Lampridius Alexandro: *Ad Athenæum audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum vel Poetarum caussa frequenter pro-*

cessit. Audiuit autem etiam forenses Oratores caussas recitantes, quas vel ad ipsum, vel apud præfectos vrbis egerant. vid. Casparum Barthium ad Claudian. p. 76. b. Verum enim vero, quum in Italia & græce & latine docerent, perorarentque, *sophista* ille dicebatur; qui præcepta eloquentiæ græce; *Rhetor* vero qui latine proponeret. Cuiusmodi Sabinus Clodius Sophista fuit, de quo Seneca lib. IV. Controu. XXVI. Discrimen alii sic ponunt, quod rhetor sit, qui litteras tradat; sophista vero, apud quem dicendi exercitium discatur, Tertullianus de pallio cap. vltim. p. 230. Gregor. Nazianzenus epist. X. ad Basilium & Suidas in voce ῥήτωρ. Discrimina hæc initio quidem obseruata fuisse videntur; tractu vero temporum, quum essent, qui & docebant & perorabant, illa in desuetudinem venisse, arbitramur. adde Petrum Francium de ratione declamandi p. 5.

VIII. Ipsius eloquentiæ fata exponere, multi laboris est & a breuitate, quam sectari tenemur, aliena. Id obseruare sufficiat, quod orationes veterum Ro-

Romanorum varii ſint generis & argumenti, prout differendi occaſionem ſtatus rei publicæ exhibebat; nec iſtæ formæ publicarum rerum noſtrarum facile applicari posſunt. Libera republica declamabant & de rebus publicis, quum partim ciuem romanum accuſarent, defenderent, vt Cicero Milonem, Roſcium Amerinum, Archiam Poetam, partim contra eum dicerent, vt idem in Verrem, Catilinam: partim fugienda, partim obſeruanda populo proponerent, quod plerumque ex roſtris loco ad radices Palatini in foro Romano fiebat. Cauſſam dixerunt vel paucis verbis, Gellius V. 10. Aſconius Pedian. 3. Verr. p. 76. vel pluribus, prout plura exempla Cicero nobis reliquit. Primus tertio conſulatu Cn. Pompeius frenos quaſi eloquentiæ adhibuit & certum dicendi ſpatium cauſſarum patronis præſcripſit, Auctor. Dial. de Orat. c. 38. n. 2. ipſam vero legem, qua reis ad dicendum tres horæ; accuſatoribus duæ ſunt conſtitutæ, Dio Lib. 49. memoriæ prodidit. Quibus ſermonibus a concio-

3 ne

neRhetores multum obtinebant;ita vt in dicendi eorum facultate magna pars romanorum felicitatis posita fuerit. *Et quanto quis*, inquit Auctor Dialog. de causs. corrupt. eloquen. *plus poterat dicendo, tanto facilius honores assequebatur tanto magis missis honoribus collegas suos anteibat.* Verba quoque de rebus priuatis fecerunt, quum exempli gratia senatui, patronis, principibus, gratias agerent, gratularentur mortuos ex rostris plerumque laudarent, de qua re Cicero de Oratore, Quintilianus Instit. Orat. & ætate nostra Vossius de natur. rhetoric. & instit. Orat. copiose dixerunt. Ritus parentandi a Plutarcho ad Valerium Publicolam refertur; licet id a Dionysio Halicarn. Lib. V. in dubium vocetur; adde Fabrum Lib. III. c. 13. Semestr. Hæc honorum officia præstaant propinqui propinquis; amici amicis; maxime viris illustribus, quorum memoriam haberent sanctam & virtutes admirarentur. De Augusto, qui auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit, vid. Suetonium cap. VIII. LI. adde Quintilianum XII, 6. Dionem Cassium Lib. LVI. p. 592. Appianum de bello ciu. lib. II. p.

II. p. 521. Qui primus viros inclutos, apud romanos post fata dilaudare instituerit, id definire Dionysius d. l. haud sustinet, adi Meursium de funer. cap. 30. 34. Kirchmannum de funeribus Lib. III. cap. 18. Gutherium de iuribus Manium Lib. I. cap. 12. & 25. Eiusmodi orationes etiam Cicero recitauit, vt ipse Lib. II. cap. 14. de oratore fatetur. adde Cresollium p. 190. 191. Kriegkium de modis inclarescendi apud Roman. p. 57. Quod ad dispositionem veterum orationum adtinet, sunt illæ vel *integra*, vt ex sex, quas constituebant, partibus constarent, prout oratio pro Roscio Am. exemplum est; vel *minus integra*, quum haud omnes partes adhiberentur, quæ libelli rhetoricorum declarant luculenter. De ipsa elocutione ex fatis latinæ linguæ, de quibus Cellarius & Borrichius in primis meriti sunt, iudicare possumus; nec opus est, vt vel heic de ea edisseramus.

IX. De eloquentiæ magnitudine Cicero Lib. I. cap. 5. Orator. ita disputat: *Huius*

autem incredibilis quædam magnitudo & difficultas erat; est enim scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas, inanis atque irridenda est, ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum, accedat etiam lepos quidam facetiaque & eruditio libero digna. Hinc Romani primum animum ad eas artes applicabant, quæ mentem atque ingenium ad ipsius eloquentiæ culturam præparare possunt. Grammaticam perlustrabant, quod oratoris futuri fundamenta iacit, Quintilian. I. 4. Prima autem cura litterarum græcarum fuit, quæ non minus olim necessariæ erant, quam hodieque latinæ sunt. Auspicium fiebat a poetis, inprimis Homero, qui originem eloquentiæ non minus quam sapientiæ Græcorum dedit; quo nomine appellat eum Hippodromus apud Philostratum lib. II. p. 48. πατέρα & φωνὴν σοφιστῶν, adde Gisbertum Cuperum in Apotheosi p. 119. & Cellarii Dissert. Academic. p. 671. Huic Menander, Sophocles, Euripides adiungebantur. Dein hi-

historicis, Thucydidi, Herodoto, Xenophonti, Polybio; tum philosophis & denique rhetoribus se dabant; adde Dornmeyeri differt. philol. de Eloquentia. Momenta artis eloquentiæ & publice & privatim tradebant; quibus præceptis rite cognitis, ipsa exercitia declamandi legendi, vertendi superaddebant. Alii enim in orbe eloquentiam docuerunt ære publico; alii priuata quasi opera: illi in Capitolio; hi passim in vrbe; illi certo numero, hi incerto, vide quæ habentur in constitutione Theodosii & Valentiniani augustorum, quæ & in Theodosiano & Iustinianeo codice reperitur. Sub tempus imperatorum constituti sunt grammatici latini decem; græci totidem; sophistæ siue rhetores latini tres; Græci quinque, philosophus vnus, duo iuris Romani periti. Qui intra domos priuatas has disciplinas liberales exercuerunt, eorum numerus definiri non potest, vid. Conringium Differt. Antiquit. Academia Diss. I. p. 10. Duplicis exercitationis, quæ diuerso tempore fuit obseruata, men-
 tio-

tionem facit auctor Dialogi de causs. corrupt. eloqu. cap. 34. *Ergo apud maiores nostros iuuenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis, ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate tenebat. Hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, siue in iudiciis, siue in concionibus assuescebat, ita vt altercationes quoque excipere, & iurgiis interesse, vtque sic dixerim, pugnare in prœlio disceret.* cap. 35. *At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui rhetores vocantur: quos paullo ante Ciceronis tempora exstitisse, nec placuisse maioribus nostris, eo manifestum est, &c.* Declamando ingenium exercuerunt varia ratione; adi Clericum Art. Critic. Tom. I. p. 344. idque græce & latine. Cicero de se in Bruto cap. XC. *Commentabar declamitans, sæpe cum M. Pisone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque faciebam multum etiam latine, sed græce sæpius,*

ius, quod græca oratio plura ornamenta ſuppeditans, conſuetudinem ſimiliter Latinæ dicendi anteferebat. Immo ad præturam vsque ſummus hic orator græce declamauit, Suetonius de Clar. Rhet. cap. . De ratione, quam obſeruabant, vertendi græca in latina teſtes ſunt Plinius Lib. VII. epiſt. 9. & Quintilianus Lib. X. c. 5. Præterea vero Grammaticis pariter atque rhetoribus græcis vſi ſunt, prout Capitolinus vit. Anton. Philoſ. cap. 2. Grammatici græci *Alexandri*; Oratorum *Annii Marcii*, *Caninii Celeris & Herodis Attici* mentionem facit. Verum Romani filios ſuos in exteras regiones, in primis Græciam ablegabant, vt eloquentia & aliis artium diſciplinis ornatiores fierent easque rectius & maiori mentis ardore excolere poſſent. De quibus peregrinationibus academicis commentati ſunt ſingulari opera Paganinus Gaudentius, Hermannus Conringius, Io. Henricus Bœclerus, Auguſtus Buchnerus, Chriſtophorus Cellarius & Georg. Nicol. Kriegkius.

X. De

X. De Germanorum origine, nomine, lingua, bellis quæ cum Romanis gesserunt, & aliis, quas excoluerunt, scientiis, non disputabo, quum doctores rerum geographicarum & historiarum copiose hæc Germanorum momenta litteris prodiderunt. Germani sæpius ab aliis contemti fuerunt, quasi obtusioris essent ingenii; falsissimum hoc esse, eorum eloquentia dudum euicit. Cuius rationem vt clare cognoscamus, fata illius, quæ æuo antiquiori & medio subierunt, curatius inlustranda esse arbitror. Primis temporibus, trium quippe seculorum, hanc dicendi virtutem Germanis cognitam & magni habitam fuisse, testantur veterum monumenta luculenter. Pomponius Mela Lib. III. cap. 2. p. 50. edit. Voss. *Habent* (Galli) *tamen & facundiam suam, magistrosque Sapientiæ Druidas.* Ex quibus colligi potest, quod veteres Germani & eloquentiam & philosophiam, quibus arcta est cognatio adfinitasque, excoluerint. Druides quidem, de quibus Cæcilius Frey & Elias Puffendorf-

fius

ſius maxime meriti ſunt, cum Guilelmo Poſtello omnium gentium ſapientibus, Chaldæis, Ægyptiis, Indis Græcisque haud anteferendi ſunt; magiſtri tamen ſapientiæ fuerunt & ex patria Britannia egreſſi, Germanos ea erudierunt. Cæſar de B. G. VI. cap. 13. *Illi* (Druides) *rebus diuinis interſunt, ſacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur: ad hos magnus adoleſcentum numerus diſciplinæ cauſſa concurrit, magnoque ii ſunt apud eos honore. Nam fere de omnibus controuerſiis, publicis priuatis que, conſtituunt;* &c. Hos quos Cæſar laxiore voce vocat *Druides*, alii in tria genera diſpeſcunt, *Bardos*, *Vates*, qui ſacrificia obeunt: : & *Druides* proprios, qui circa philoſophiam verſentur, Strabo Lib. IV. p. 136. & Lucan. lib. I. v. 448. ſq. *Bardi* hymnos & carmina teſte Strabone, tractabant; quibus & proſam orationem adiunxiſſe eos, vero quam proximum eſt. Marcellinus Lib. XV: *Bardi fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus cum dulcibus*

lyræ

lyræ modulis cantitarunt. Adde Diodorum, Morhofium de Lingu. Germanic. cap. 6. p. 272. & Wagenseilium intr. von den Meister-Sængern cap. 4. p. 499. Cæsar quidem d. l. cap. 21. *Germani*, inquit, *neque Druides habent, qui rebus diuinis præsint, neque sacrificiis student;* sed Cluuerius Germania antiqua ostendit, quod verba hæc: *Germani Druides non habent;* ea sententia sint accipienda: *Germani non student sacrificiis.* Apparet exinde, quod veteri Germanorum genti cura quædam eloquentiæ sit vindicanda; licet dentur, qui gloria artium harum liberalium eos fraudare voluerunt, vide H. L. Schurzfleischium Notit. Biblioth. Vinar. p. 3. 4. Prouocant ad Tacitum, qui ait: *Litterarum secreta viros pariter ac feminas ignorasse;* sed indicat, opinor, Tacitus, litterarum seu caracterum secretorum expertes fuisse & ignaros, adi Iacob. Burckhardum de fatis L. L. in German. p. 26. Quid? quod ipse Tacitus cap. XI. *Mox rex, vel princeps, prout ætas cuique, prout nobi-*

bilitas, prout decus, prout facundia est, audiuntur, autoritate suadendi magis, quam iubendi potestate. Conf. Paschii Inuent. Nou-antiq. p. 6. Seculo III. Cliuiae officina & schola publica eloquentiae constituta fuit, cuius gubernandae cura viris commissa est, qui semper in omni genere dicendi maxima facultate viguerunt, vid. Panegyricos veteres p. 324. Eloquentia non ita exculta fuit, vt verborum elegantias meditarentur; & maximo studio vim, quae facundiam comitatur, gestirent; sed id egerunt, vt naturae donum, quod illis haud defuit, conseruare & aliqua parte augere possent. Quibus regulis hanc artem praeceperint, qua ratione eam excoluerint, qua occasione & qua lingua semper declamauerint, posteritati haud scriptum reliquerunt. Quamquam antiqua Germanorum gens, auctore Tacito cap. II. annales & historias scripserint; per posteros tamen ab interitu haud vindicatis, parum nobis est, ex quo rei huius cognitionem petere possimus, Auentinus Annal.

nal. Boior. lib. 1. Id haud a veritate alienum eſt, quod lingua vernacula vſi fuerint, licet & romana ad eos iam transvecta fuerit: quam minime a Teutonica, quæ Praſchii, Schottelii, Reimmanni ſententia eſt, deriuandam a Romanis acceperunt. Seculis, quæ inſecuta ſunt, ſumma barbaris Germanorum gentem inuaſerat, quæ litteries his aliisque liberalibus adeo rudis fuit, vt omnis ſcientia & omne ſtudium meliorum diſciplinarum proſcriptum videretur, adde Iacob. Burckhard. de fatis L. L. in Germ. cap. II. p. 45. Quæ tempora diligentius rimari eo nomine ſuperſedeo, atque ad octauum ſeculum progredior, cui maxima litterarum incrementa atque ingenuarum artium vindicanda eſſe, exiſtimo. *Carolus* enim *Magnus* nonſolum ipſe litteris elegantioribus imbutus fuit; ſed mirifica quoque erga eas in maiorem locum promouendas beneuolentia. Philoſophiæ barbaricæ diſciplinas cum politiore litteratura coniunxit; antiquiſſima carmina

na litteris consignari praecepit; magistratus & sacerdotia amplissima, vt Osnabrugense, Halberstadiense, Paderbornense, Mindense, Verdense, Bremense, Monasteriense, Hildesiense, instituit. Quid? quod de scholis litterarum publicis condendis cogitauit, & prout Francorum annales commemorant, ex Roma discessurus, viros litteris elegantioribus ornatos in Franciam secum adduxit. Quin inter harum litterarum culturam haud neglecta sit eloquentia, minime dubitamus, inprimis quum de ipso Carolo Eginhardus vita eius: *Erat eloquentia copiosus & exuberans, poteratque, quicquid vellet, apertissime exprimere*, adde Auentinum Lib. IV. & Hachenbergium German. med. dissert. VI. p. 43. edit. Turckii. De ipso *Eginhardo*, quem litteris & philologiae & eloquentiae perpolitum fuisse constat, copiose egit Schminkius vit. eius, & Burckhardus cap. 3. Post *Caroli Magni* e vita discessum *Ludouicus Pius* & successores auitis & paternis virtutibus haud similes, liberalibus litteris fauere desie-

 runt,

runt, nec merita illorum in rem litterarum publicam copiosa sunt atque eximia, conf. Schurzfleisch. Notitiam Bibl. Vinar. p. 9. His enim temporibus omnes fere litteræ in Germania exularunt & monachorum inertia purioris latinæ linguæ, quæ fundamentum est ceterarum disciplinarum, cultura plane dimissa fuit. Io. Tritthemius Catalogo virorum Germaniæ inlustrium multos conlegit, quibus laudem singularis eloquentiæ, facundiæ & compositæ orationis adhibuit; sed fides, qua hæc demonstranda, sit penes auctorem. Lingua & romana & teutonica tempore Caroli M. rhetores docuisse oratoriæ præcepta, vero simile esse putamus, quod summus hic imperator vtrique linguæ ex tenebris productæ, priscum restituere decus operam dedit. vid. Morhof. de Lingua. Germanor. & Poes. P. II. Hachenberg. Germ. med. Diss. VI. VII. Hertium Biblioth. Germ. P. I. Quamquam Vossius præf. libr. de vitiis Sermon. *Carolus M. variis in locis Scholas erigendo praeclare est meritus de studiis vniuersis;* *me-*

melius tamen de rerum doctrina, quam lingua romana. Quod si ex fatis poeseos, quae oratoriae cognata est, de eloquentiae flore iudicare possumus; tempore hoc & teutonica & latina poesis fuit exculta & fautores inuenit. Excultae poeseos romanae argumentum exhibet *poeta anonymus latinus*, qui imperatoris Arnulphi praeclaras virtutes consignavit; quemue ab interitu inlustris Leibnizius vindicauit: vt de opere *Hrosvvithae* taceam, vid. Vossium & Eschenbachium de poetis christianis sacris. De *Ludouici* pii & *Otton.* II. erga poesin teutonicam beneuolentia nihil proferam, quum ille ipsam mentem litteris his adhibuit; hic eas priuilegiis haud contemnendis exornauit. Quantis auctibus hoc litterarum genus seculo XII. euectum fuerit, & in dies magna elegantia magnumque decus eis accesserit, id Morhofius declarat perspicue p. 292. de Lingu. Germ. Quid? quod *Lambertus Schaffnaburgensis*, seculi XI. historiarum auctor, facundiae & eloquentiae haud rudis fuit; tantum abest, quin inter oratores po-

natur. vid. Vossium de H. L. I. c. 47. Hederichium Notit. auctor. & Hertium Biblioth. Germ. p. II. f. 1. n. 484. Et de *Friderico* I. ait Hachenbergius p. 143. *Sane inter egregias laudes, quas Friederico I. Imperatori Otto Frisingensis & Radevicus tribuunt, illam ceteris omnibus præstare autumant, quod ad insignem animi fortitudinem ac temperantiam, singulare eloquentiæ studium adiecisset.* &c. Tempore *Friederici* II. *Petrus de Vineis*, Germanus maxime nituit, & seculi sui optimus & facundia præstantissimus habitus fuit. Secul. XIV. lugubris quidem musarum facies extitit, iisque nullus honos habitus est; seculo tamen, quod insequebatur ad vitam reuocatæ, priorem dignitatem auctoritatemque receperunt. *Rudolphus Agricola* laudem inprimis meretur, qui differentiam Logices & rhetorices, & quantum cuique tribuendum sit, solide demonstrauit, vt ipse Melanchthon Tom. II. Declam. p. 204. dicat: *nulla extare recentia scripta de locis & vsu Dialectices me-*

meliora & locupletiora Rudolphi libris. Plura vide apud Richartum Biblioth. Cæsar. Vindobon. p. 15. & Burckhardum de fat. L. L. in Germ. cap. V. *Conradum Celtem Friedericus III.* in academia Vindobonensi eloquentiæ ac poeseos professorem primarium constituit, vt ex constitutione eius de honore & priuilegiis poetarum a. c. cIↄ Iↄc promulgata apparet apud Goldastum Tom. III. Constit. Imperial. Ex schola *Rudolphi Agricolæ* adhuc alii prodierunt, & exemplo illius excitati, litteris melioribus & eloquentiæ operati sunt, de quibus consule Burckhardum d. l. Angustia temporis quum me circumstat, breuitatem sequor, & ex seculo XVI. inter scriptores rhetorices refero *Io. Sturmium* & *Melchiorem Iunium*, *Ioachimum Camerarium*, *Dauidem Chytræum*, *Philippum Melanchthonem &c.* Hic pedem figo. Ea enim, quæ accurratius de oratoribus & auctoribus rhetorices seculi XV. XVI. XVII. inprimis oratoria *Weisiana*, eiusque fatis dicenda

 sunt,

ſunt, adeo copioſa mihi videntur, vt peculiari diſſertationi, quam CELLARII præfationibus & dedicationibus præmittendi animum habeo, reſeruanda eſſe arbitrer.

Inter præſtantiſſimos eloquentiæ viros poni meretur CHRISTOPHORVS CELLARIVS, qui tanta oris virtute valuit, vt omnis Ciceronis facundia in eo poſita & conſpicua maxime videretur. Teſtes extant locupletes panegyrici ſermones quorum ſumma maieſtas eſt, ſiue ad elegantiam & puritatem verborum; ſiue ad ſuauem rerum compoſitionem; ſiue ad alia reſpicias, quæ orationibus virtutes atque auctoritatem conciliant. Quo nomine quum vtilitati meliorum litterarum, eorum inprimis, qui purioris latinitatis cultores ſunt, inuigilare ſoleo; facile quisque iudicare poterit, cur CELLARII noſtri optimi orationes vno faſciculo iunctas publicauerim. Ipſa vox tanti viri, cuius merita maxime veneror, me ſtudioſe diligenterque

que ad hanc operam hortata eſt, quam ante paucos dies, quum vltimum redderet ſpiritum, effudit: *Vtinam orationes meas, magno ſtudio conſcriptas in ſummam redigere & publicare poſſem!* Quantam operam præſtiterim & quam difficilis fortuna mihi orationes has conquirenti viſa ſit, non pluribus heic proferam, quum ita fuerunt diſtractæ, vt ſæpius de integro opere Cellarii orationum deſperauerim. Sed induſtriæ meæ opem tulerunt ſingularem venerandus BVDDEVS, excellentiſſimus SCHNEIDERVS & grauiſſimus CELLARIVS, paternis & ingenii & mentis virtutibus ſimillimus, quorum erga me beneuolentiam grata mente ſemper venerabor. Extremo operis clariſſimi DORNMEYERI, mihi amiciſſimi orationem, quam beati CELLARII manibus dicauerat, ſubieci, quod & puritate latini ſermonis & vbertate rerum maxime fuit commendabilis & digna ideo, quæ ab interitus periculo vindi-

dicetur. Illæ, quæ duce eo atque magistro ab aliis recitatæ ſunt, proxime lucem publicam quoque percipient; in quibus conligendis immenſam adhuc operam conlocaui, nec felicior defuit ſucceſſus. Bene vale, Lector optime.



CHRI-

CHRISTOPHORI CELLARII ORATIONES ACADEMICAE.



ORATIO I.

QVAE

AVGVSTO CONDITORI ACADEMIAE FRIDERICIANAE

NOMINE ILLIVS POST INAVGVRATIONEM GRATIAS AGIT.

Habita eſt cIↄIↄcxciv.



ITa nobis omnia euenire Deus iubeat, vt omnium mens & cogitatio geſtit auguſto PRINCIPI & DOMINO noſtro Friderico III, Electori Brandenburgico, immortales gratias agere, cuius incredibili benignitati Muſæ noſtræ & initia ſua, & incrementa & ſtabilitatem poſt Deum debere ſe intelligunt. Plauſus hominum innumerabiles, publicæ voces & gratulationes, communis omnium lætitia ſatis nobis teſtimonia ſunt,

quo quisque adfectu, qua singulari pietate, qua gratæ mentis significatione fuerit, quum magnus PRINCEPS ac DOMINVS noster, augustius quam pro voto & exspectatione nostra, Academiam, quam condiderat, auspicatissimis ritibus initiisque sanctissimis inauguraret. Tot exsultantium hominum sensus, vti ex mentis recessu sese proferunt; tot gestus miranda vi lætitiæ expressos; tantum votorum & gratulationis conuentum atque lætissimum strepitum vel animo complecti, res certe non leuis aut exigua est; oratione autem, vti sunt, efferre, fateor non solum vulgarem doctrinam superare, sed iis etiam, qui exercitatiores sunt, non facillimum ad explicandum esse, quum mille anfractus animorum penetrare, mille congratulantium voces imitari oporteat, qui publico nomine, quod omnes debent, officium facere, & omnium verbis merentissimo CONDITORI gratias agere, vel sponte sua vel iussus etiam in se susceperit. Quod munus dum mihi iniunctum esse video, ingens onus & vix ferendum persentisco. Sed grauius aliud mihi impendet, quod pariter subeundum esse intelligo, etsi tantæ id molis ac magnitudinis sit, vt non facile ingenium inueniatur, quod ferundo illi sine offensatione sufficiat. Dicendum enim de MAXIMI PRINCIPIS virtutibus est, quæ siue bellorum magnitudinem spectemus, siue felicitatem bene constitutæ reipublicæ, vtique summa & admiranda omnia, plura etiam sine exemplo contuemur; quæ si

quem

quem forſan deterreant, ne id in ſe graue munus recipiat; puto excuſatius illum facturum eſſe, ſi renuerit, quam ſi cupidus adgrediatur, quod ſuſtinere propter molem & grauitatem non valeat. Ego equidem nolo hac deprecatione vti, quum ſciam, neminem fortaſſe ex veſtro ordine, Patres conſcripti, fore, qui excuſationem meam facile accipiat: nec vero deſpero, eandem cauſſam, quæ alios ab officio liberare poſſit, mihi etiam præſidio inter agendum fore, vt maiori fiducia ſuſcipiam, quod faciendum reſtat; non quaſi audacior ceteris ſim, aut mihi ad obeundum illud paratior eſſe videar; qui, quam exiguæ res meæ ſint, minime quidem ignoro; ſed quia eadem magni Principis maieſtas mihi veniam pollicetur, ſi quantum potero, non quantum debeo, de ſummis rebus & ingenio meo maioribus, ſum verba facturus, idque breuius, quam virtutum laudandarum magnitudo exigebat, vel veſtra audientium poſtulat exſpectatio. Qua fiducia veniæ veſtræ, Auditores ſpectatiſſimi, in me ſuſcipio, quod maius eſt ingenio meo; & arctius etiam, quam pro amplitudine eius, conſtringo, non omnia perſecuturus, quae dicenda in hac cauſſa ſint: ſed quæ pro temporis ratione ſe animo meo iniiciunt, vt præteruehi aut tranſilire non liceat, etiamſi a nemine, vt decet, & neque ab eloquentiſſimo amplificari ornarique verbis poſſint. Vos modo propoſito huic fauete, & ſi oratio me defecerit, quod animus mihi præſagit; credite quæſo, non irreligioſitate, aut induſtriæ neglectu, (quanquam

nec hunc omnem a me deprecor, debilitatis meæ conſcius) ſed magnitudine rerum, quæ dicendæ ſunt, ita vt fieret, accidiſſe.

Quoquo verſus oculos in hac vrbe circumfero, aut cogitatione memoriam illarum rerum repeto, quæ proximis diebus magnifice cum noſtris Muſis peracta ſunt; omnia magna atque miranda ſe nobis obiiciunt: ſed admirabilius nihil eſt, quam inter belli tumultus grauiſſimos, non ſecus ac in otio & pace, litterarum ac doctrinæ ſacrarium conſtitui, opulenter dotari, auguſte ac ſplendidiſſime dedicari. Belli enim hæc natura eſt atque indoles, vt non ſolum, quo fulmen eius peruadit, litterarum cultum deiiciat atque proſternat, ſed vicinos etiam conterreat adeo, vt ſtudiorum progreſſus omnis impediatur, aes in Muſas impendendum ad caſtra deſtinetur, & rei nullius, quam litterariæ, ſpes minor inter arma relinquatur. An vero poſteri credituri ſunt, apud nos omnia contrario ſe modo habuiſſe, vt, quo funeſtius bella in Europa ſæuiebant, eo magis creſceret ſpes excitandi litterarum domicilii? quam etiam euentus par votis noſtris aut omnino maior, conſequutus fuit, dum vndiq; decerptum iuuentutis florem tanta frequentia tantoque numero huc allatum vidimus, vt hæc noua Academia, etiam antequam inauguraretur, cum antiquiſſimis Germaniæ de nobilitate ciuium non modo certare, ſed, quod præfiſcine dixerim, palmam etiam haud dubie præripere potuerit. Quis ergo non magnopere miretur, res ali-

bi

bi diſſociabiles viſas, armorum curam & ſtudium rei litterariæ, difficillimis his temporibus miſceri ac ita coniungi potuiſſe, vt & bellum maximis impenſis gereretur, & magnifice etiam excitarentur litterarum ſtudia? Quidquid intra hominum mediocritatem non conſiſtit, Deo imputamus, vt ſuæ origini vindicentur, quæ ab ipſa ducuntur æternitate. In Academiæ huius initiis diuina auſpicia non obſcuris ſignificationibus perſpecta habuimus, nec hodieque diffitemur, quantum cœlo illius cauſſa debeamus. Quum vero ita Deus cum mortalibus agat, vt ſi quid magnum perficiendum eſt, ipſe conſilia regat, conatum adiuuet, progreſſum fortunet; quis dubitabit Sereniſſimum Fridericianæ Conditorem Deo duce in hanc mentem cogitationemque ingreſſum eſſe, vt contra fortunā, hoc eſt, contra communem bellorum ſortem, ſuæ ſpei, quam magno animo conceperat, immotus ſecurusque inſtaret, eaque omnia faceret ſtatueretque; quamuis maximo bello diſtentus, quæ vix altiſſima quies & diuturnitas pacis proferre potuiſſet. Hæc vera & diuinitus adlata fortuna eſt: hæc felicitas omnibus votis atque deſideriis præferenda, quia ſapientiæ conſiliis innixa nunquam loco ſuo mouetur, ac fructus ſuos communi vtilitati & reipublicæ adfert & relinquit poſteritati. Nummis, marmoribus antiquam Romam, quoties felici ſucceſſu vſa fuerat, inſcripſiſſe nouimus, FELICITAS TEMPORVM, FELICITAS SAECVLI, FELICITAS PERPETVA. Nos non minus, quam Romani,

habemus, quod de temporum felicitate, inter ceterorum planctus ac miserias, nobis gratulemur, qui tranquille ac pacate omnes viuimus, atque Academiæ nostræ flores & maturos fructus in ipsa herba atque germine videmus. Sed Romanorum mentio ad id, vnde digressus fui, vt reuertar, me admonet, qui mecum constitueram, rem admirabilem, otium liberalium litterarum, inter belli dira negotia natum, auribus animisque vestris declarare. Imperiorum, quæ Deus a principio rerum esse voluit, primas partes tulisse Romanam rempublicam, sapientum judicio consensioneque probatum est. Quæ enim in aliis sparsim laudanda occurrebant; cumulata & coniuncta apud Romanos erant omnia. Enituit gens aliqua in bello, sed obsoleuit in pace: aliam toga; sed non & arma honestarunt: litterarum studiis hæc inclaruit, sed obhæsit circa ceteras virtutes: sola antiqua Roma fuit, in qua nulla laudis materia sterilesceret. Siquid iudicare de populis possum, aut tempora temporibus conferre, dicam libere, vix gentem in Europa esse, quæ ad veterum Romanorum gloriam propius, quam Brandenburgica, accedat. Romani ex aliis pœne multis magnisque virtutibus, quibus excelluerunt, imprimis fortitudinem ac bellandi peritiam cum humanitatis studiis & artium disciplinis tanto vinculo coniunxerunt, vt nemo in gente illa vel mediocriter clarus fuerit, si C. Marium, ciuilis belli facem, exceperimus, quin vtroque præstare studio sibi curæ cordique

dique haberet. Vtriusque etiam fructus nobilissimos amplissimosque perceperunt. Nam vt Martis alumni orbem terrarum subegerunt; vt artium litterarumque cultores, quem deuicerant orbem, siue amplissimas prouincias, in potestate, citra motum rebellionis, tenuerunt, id quod prudentiæ, ex litterarum studiis enatæ, tribuendum est, quia excellentibus ingeniis sæpius defuit ars, qua victos regerent, quam qua hostes superarent. Victoriam cum aliis gentibus communes habuere: doctrinam autem, cum bellica laude coniunctam, ita propriam possiderunt, vt nulla gens ab rerum conditu in orbe esset, quæ vtriusque ex æquo gloriam maiorem, quam Romana, consequuta memoretur. Quod commercium præstantissimarum virtutum religione confirmauerunt, vno delubro & Herculis & Musarum sacra adeo arctissime complexi, vt, qui Miranda veteris Romæ scripsit Iustus Lipsius, nihil opere suo prodiderit, quod in admirationem æque rapiat, quam diuersissimi ingenii Deorum in vno templo consociatio. Fuluius Nobilior, Aetolorum victor, qui Antiochum magnum contra Romanos concitauerat; quum Ambraciam cepisset, mirandæ artis Musarum simulacra, Græcis ablata, in vrbem transuexit, & tertio post anno Censor in æde locauit, quam ex multa censoria exstruxerat, illáq; inusitato nomine ac honore dedicauit HERCVLI MVSARVM. Ignoscant mihi Romani, quod gloriã illis præreptã nostræ Fridericianæ vindicatũ eam. Heic, heic est templũ Herculis Musarũ, hoc est

eiusmodi bonarum artium & omnis liberalioris disciplinæ sacrarium, quod propter potentissimum Conditoris sui præsidium vere HERCVLEVM appellari debet, quia fortissimus Heros & Dominus noster ea orbi Christiano contra immanissimos hostes adhuc præstitit, & hodieque præstat, vt fabulosis poëtarum carminibus Herculi, terrarum liberatori, vix maiora contribui potuerint. Idem autem, tanquam Romana proles esset, sic vna cum belli studiis, humanitatis & optimarum artium disciplinas fouet, tuetur, conseruat, vt vere HERCVLEM MVSARVM appellare possimus, atque adeo etiam omnes debeamus: quippe æquali pœne numero tot robustissimos exercitus alit, quot Academias habet: & Aula ipsius æque viris doctrina & rerum vsu illustribus, quam fortissimis belli ducibus in tantum abundat, vt ei parem in Europa his temporibus inueniri qui dubitet, nihil quod reprehendendum sit, committere videatur. O dulce commercium vtriusque militiæ, Martis atque Apollinis! O suauem armorum & litterarum concordiam! Hæc admiranda societas fecit, vt vetus Roma inuicta esset, quia quam diu vtrumque studium Romani excoluerunt, florentissimam tutissimamque rempublicam habuere, vt inde mihi non vano augurio diuinare posse videar, quemadmodum Brandenburgica Electoralis Domus æque litterarum & armorum studiis deditissima est, vt nec Europa eius similem ostentare possit; Ita imposterum quoque, vti nunc est, feli-

feliciſſimam illam firmiſſimamque ſemper fore, quia ſic vtriusque rei diſciplina inſtituta eſt, vt non facile metuendum ſit, ne alterutra minuatur aut detrimentum aliquando capiat. Vidimus modo, vidimus ſereniſſimum & exporrectum vultum clementiſſimi Academiæ PATRIS: audiuimus auguſtam & maieſtatis plenam illius vocem, qua fidem nobis, qua induſtriam, qua concordiam præcepit & diligentiſſime commendauit: adſpeximus & admirati ſumus incredibilem ſplendorem, regiam pompam, Attalicos ſumtus: & nunc ingentia etiam beneficia atque priuilegia cognouimus, quibus potentiſſimus ELECTOR has Muſas ſuas tam ipſe dotauit, quam ab inuictiſſimo LEOPOLDO, Romanorum Imperatore auguſtiſſimo, dotari ornarique curauit: & ne quid deſit honoris & eximiæ auctoritatis, Sereniſſimum Filium ſuum, FRIDERICVM WILHELMVM, in ſpem Electoratus & tot prouinciarum genitum, RECTOREM Academiæ MAGNIFICENTISSIMVM præfecit: quæ ſingula indubitato argumento ſunt, quanta cura, quanto adfectu indulgentiſſimus PATRIAE PATER hanc filiam ſuam FRIDERICIANAM complectatur: etiam ſignum nobis ad bene ſperandum tollunt, non longe abfuturum eſſe, vt pluribus in dies a clementia illius beneficiis adficiamur. Quibuscunque intereſſe celebritati illi licuit, peregrinis, indigenis; aut qui ab aliis vel voce vel litteris id traditum perceperunt; ad vnum omnes

laudant,

laudant, prædicant, in cœlum ferunt incomparabilem tanti principis virtutem, clementiam, beneficentiam, inusitatumque fauorem erga litterarum studia ac incredibilem amorem erga hanc suam Fridericianam. Iudicate nunc quæso, Auditores, quid nos Academicos deceat, quorum propria sunt, quæ ceteri mirantur, beneficia: & plura ab eodem munificentissimo Conditore exspectare inposterum iubemur. Hæc sane qui non maximi æstimat, næ is bona nostri sæculi non intelligit, indignus etiam, qui hac felicitate temporum & reipublicæ cum aliis melioribus fruatur. Præueniunt nos peregrini, extranei, ac doctissimus quisque Belgarum tantæ munificentiæ gratias agunt, & hunc in Musas fauorem in cœlum laudibus tollunt, epistolis, carminibus, & scriptis adlocutionibus prædicant, ad quos inde nihil amplius redundat, quam ad communem statum rei litterariæ. Quid ergo nunc nostri putatis officii esse, vt dignas gratias liberalissimo MVSAGETAE nostro agamus? Plinius Traiano gratias egit: egit & Gratiano Ausonius, sed vterque aliud egit, quam nobis agendum est in præsentia, quum de aliis potius virtutibus (de quibus neque nos tacemus) quam de litterarum instauratione, dicendum illis fuerat: aut si de litterarum etiam studiis, id breuiter tantummodo & tanquam transeuntes attigerunt. Quod dum pluribus verbis mihi faciendum restat, hæreo, obstupesco, nec verba quibus explicem, quæ mente omnes tenemus,

repe-

reperio: nisi aliquid dixisse me putabitis, si quod optimo cuique Romanorum Principum ad clamatum fuit, nostro beneficentissimo ELECTORI adclamauero. Vulcatius Gallicanus, Ælius Lampridius, & Iulius Capitolinus auctores sunt, Romanum Senatum, aliquando etiam alios, Marci Antonini, Alexandri Seueri, Gordiani maioris clementiam non aliis verbis, quam his paucis, religiose prosequutos esse, DII TE SERVENT Antonine; DII TE SERVENT Alexander; DII TE Gordiane SERVENT; & quos alios his dignos vocibus ac gratulationibus habuere. Tanta mihi fiducia bonitatis tuæ est, clementissime ELECTOR, vt obligatione officii, quod hoc die obeo, me exsolui posse credam, si eadem breuitate, qua Romani vsi sunt, TE in præsentia appellem, iisdemque verbis votorum summam comprehendere tentem, & eadem adclamatione omnes, qui heic præsentes sunt, tum officii sui, quo TIBI deuincti sunt, tum spei, quam de TE omnes habent, gratulabundus admoneam. Dicimus omnes vno animo, concordi voce, pari pietate: aut si non omnes dicunt, animo tamen cogitant, quod ego dicam: DEVS TE SERVET FRIDERICE III, DEVS TE SERVET PRINCEPS OPTIME: TVA SALVS NOSTRA SALVS: TVA VITA CONSERVATIO NOSTRA: TVA VIRTVS NOSTRVM EST PRAESIDIVM. DET TIBI AETA-

TEM

TEM DEVS, QVAM MERERIS: SERVET TIBI ANIMVM, QVEM IPSE DEDIT, VT TANTO MAIOR SIT LITTERARVM GLORIA, QVANTO AVGVSTIOR ES IMPERII TVI FELICITATE.

Ibit in ſæcula, fuiſſe Principem, qui quum bellicæ rei gloria potuiſſet maximus eſſe, hanc nullam aut leuem exiſtimauerit, niſi etiam parem laudem ex litterarum ſtudiis, in maius meliusque prouectis, conſequutus eſſet: niſi titulis ſuis ſplendidiſſimis adieciſſet etiam nomen MVSAGETAE, quod Herculis ſtatuæ, lyram & plectrum tenentis, Romæ ſubſcriptum eſſe nouimus. Veniam peto, Auditores, quod vota interrumpam. Lætitiæ me adfectus turbat, vt præpoſtere omnia agam, nec ordinis legem, quam ipſe conſtitueram, obſeruem. Dico enim, vt aliud ex alio occurrit. Muſarum Herculis, de quo dixi, reminiſcor: non autem cauſſam, cur diuerſa Numina compoſuerint Romani, memini me dixiſſe. Dicat pro me Eumenius, in Galliis ſub Herculeo Auguſto & Cæſare Conſtantio Rhetoricæ doctor clariſſimus, id factum ab Romanis fuiſſe ideo, QVIA MVTVIS OPIBVS ET PRAEMIIS IVVARI ORNARIQVE DEBERENT MVSARVM QVIES DEFENSIONE HERCVLIS ET VIRTVS HERCVLIS VOCE MVSARVM. O Elector potentiſſime! defenſionem tuam experti ſumus & quo-

quotidie experimur; eandemque perpetuam nobis fore pro summa benignitate tua speramus. Quod alterum est, nunquam Musarum vox de laudibus tuis conticescet; sed tuas res maximas domi forisque, pace ac bello gestas, & in posterum, Deo iuuante, gerendas, æternitati, qua dignæ sunt, commendabit, vt ista comitem æui sui semper tuam gloriam trahat. Hoc votum, hæ preces nostræ sunt, vt incolumitati tuæ accedat perpetuitas. Tenues quidem Musæ nostræ & vix cunabula egressæ sunt: sed tamen pro officio, quod obeunt, & pro obsequio, quod debent, ad gloriam tuam augendam prædicandamque felicitatem, aliquid adferent. Seis, Domine, pro diuina intelligentia tua, vbi vera Principis, vbi sempiterna sit gloria, in quam nihil fortunæ, nihil senectuti temporum liceat, quæ vetustate magis florescat. Non verendum mihi est, in sapientiam tuam intuenti, ne arrogantior vox mea videatur, si dixero, quod non ignoras, litteras omnium fundamenta virtutum esse, quæ quum ætate tenera in consuetudinem venerunt, omnia deinceps officia vitæ, & ipsa, quæ diuersissima videntur, militiæ atque castrorum munia conualescunt. His quum sedem novam tribuere nouisque dotare ornamentis benignissime dignatus sis; necesse est, perpetua TIBI ex eo gloria oriatur, magnisque in dies auctibus per terras se dispargat, vt nullis illa spatiis, nisi quibus cœlum terminatur, finiri possit, & quamdiu homines erunt, FRIDERICIANAE CON-

DITOR

DITOR ATQVE SERVATOR omnium eruditorum ore atque animo celebretur. Omnino enim ingens illud beneficium tuum eſt, & magno Principe dignum, eiectas exſulantesque Muſas ad Rempublicam reuocare, nouum iis domicilium aperire, & quæ alibi exſtincta erant litterarum ſtudia in ſuis finibus ſuſcitare, eademque ſuæ integritati ac nitori reſtituere. Crede nobis, CLEMENTISSIME DOMINE, non hæc breuis prædicatio TE, ſed honor æternus annalium colet, TIBI gratias aget, nec vlla tam ingrata erit poſteritas, vt diuinum factum tuum non perpetuo laudet: nulli bonæ mentis alumni erunt, & liberalium artium æſtimatores, qui non grata mente ſe TIBI debere confiteantur: nec FRIDERICIANAE appellatio ſine TE poſterorum memoriæ recurret. Sunt in honore hominum & in honore famæ magna nomina, ex obliuionis tenebris Muſarum ſtudio extracta, quorum id munus conſuetudoque ſemper fuit, vt cultores ſuos & dignitatis amplificatores æternitati conſecrent, & gloriam illorum immortali cura & cuſtodia tueantur. Omnia bene ſapienterque facta obſcurat ignoratio, niſi memoriam illorum ſua voce ſuisque Muſæ litteris conſeruent: quanto maiori fide hoc factum tuum, quo ipſas ornaſti, cuſtodituras eſſe exiſtimas, quae tantum liberalitati tuæ debere ſe profitentur, vt cui plus debere ſeſe intelligant, inter ætatis noſtræ Principes certe inueniant neminem. Muſæ immortales

tales ſunt, & in doctorum hominum voce, in libris ac ingenii monimentis perpetuo viuunt, & ſtatoribus ſuis ac conſeruatoribus perennitatem famæ conciliant. Hæ & TIBI & MAGNO NOMINI TVO laudis æternitatem ſpondent, vt quanto poſteritas ſerior exſurget, tanto maius cum annis tua gloria incrementum capiat. Vidiſti modo, quum Academiam dedicares, oppletas vndique huius vrbis vias, anguſtumque tramitem relictum tibi; vidiſti referta tecta & pondere ſuo, hoc eſt ſpectantium multitudine, laborantia, qui omnes in gloriam tuam incredibiliter intenti paratique erant: ſed vnius ætatis homines, & circumiacentis tantum regionis, non ampliſſimis finibus circumſcriptæ, vidiſti. Quantus ergo cumulus accedet gloriæ tuæ, quum vniuerſus orbis, in quantum litteris excultus eſt; & omnium ſæculorum, quæ ſequentur, eruditi homines tuum factum in ore ferent, & æternitati, quam meretur, inſinuabunt? Vides itaque, GLORIOSE PRINCEPS, neque numerum illorum, neque finem etiam futurũ eſſe, qui tuam erga Muſas voluntatem in ſummis laudibus ponant, & Academiæ inſtaurationem æternis vocibus atque litteris extollant. Magna eſt gloria tua, quam ex belli victoriis habes: magna etiam, quam ex aliis, quæ ſtruis, operibus habes: ſed tamen eam horum naturam atque indolem eſſe non ignoras, vt aliquid ſibi fortuna inde, aliquid etiam tempus & longa dies vindicet. Quam autem ex litterarum ſtu-

diis, in melius auſpicio tuo productis, conſequutus laudem es, ita proprie atque conſtanter ac ſine ſocio tua eſt, vt neque tempori, cuncta cetera conſumenti, illa cedat; neque fortunæ, rerum imperioſæ dominæ, quidquam de ſuo iure concedat. Quare gaude tuo tam excellenti bono: & fruere cum natura tua, tum laude virtutibus tuis parta, ex qua maximus fructus iucunditasque eſt ſapienti. Sis felix, OPTIME PRINCEPS, ſis Muſis tuis, vti es, ſemper propitius, quæ in gloriam tuam in ſingulos dies ſuccreſcunt. Sis felix, MAGNANIME PRINCEPS, in bello pro patriæ libertate ſuſcepto, vt quoties cum hoſte congreſſus fuerit exercitus tuus, ſuperior diſcedens, triumphalia ornamenta ferat, & tuam gloriam victoriis identidem auctiorem cumulatioremque efficiat. Sis felix Imperio Romano, felix prouinciis Brandenburgicis, felix in pacis & belli negotiis, vt ſemper læteris felicitate tua, & Tecum lætentur omnes tui, qui fide, qui obſequio, qui cultu TIBI obſtricti ſunt. Antea verba deficiebant, Auditores, quum gratias auguſto Academiæ PATRI acturus eſſem: nunc quoque me deficiunt, quibus vota, pro eiusdem ſalute animo concepta, rite pleniusque nuncupemus. Quemadmodum vero non tam adorantium verbis, quam innocentia Deus oblectatur, isque gratior eſſe cenſetur, qui puram mentem, quam qui carmen meditatum, ſacrariis infert: ita cœleſtis indoles ELECTORIS noſtri ſperare iubet, ſi vita

&

& moribus & obsequio nos tales geramus, quales ille saluberrimis sanctionibus voluit esse, &, vt simus, beneficiis ac ornamentis inuitat; nos non ingratos erga PRINCIPEM videri, nec immemores acceptorum censeri posse. Hoc enim gratiarum actiones agant, meminerintque, sic maxime Principem laudari, si quorum est gratias agere, illius voluntati obsecundent; & strenue perficiant, quod is fieri & institutis & impensis suis voluit. Quod si hæc optima gratiarum actio est, quod nemo fortasse dubitat; agite quæso, Patres, & ciues Academiæ, quisque ad id incumbite, vt clementissimus PATRIAE pater intelligat, nos memores beneficiorum esse, quia non immemores voluntatis simus, quam ille tam sanctis significationibus declarauit. Eadem ratio in votis, quæ facienda sunt, obseruetur, vt adfectu magis atque pietate, quam verbis ambitiosis concipiantur, & eos mores præ nobis feramus, vt TANTI PRINCIPIS beneficentia non indigni videamur. Igitur sine adfectatione solemnem vocem atque formulam, quam supra dixi, sub finem solemnitatis nostræ repetamus, quia simplex & cuncta complexum vnum omnium votum est SALVS PRINCIPIS. In hanc preces nostræ tendunt: hac diuinitus impetrata, omnia consequuti nobis videmur. DEVS igitur, omnes dicimus, SERVET TE, FRIDERICE OPTIME, PRINCEPS SAPIENTISSIME: DEVS TE SERVET MVSA-

RVM PATER INDVLGENTISSIME: SERVET TE ET SERENISSIMAM VXOREM TVAM ELECTRICEM, DOMINAM NOSTRAM CLEMENTISSIMAM: SERVET SERENISSIMVM IVVENTVTIS PRINCIPEM, ACADEMIAE HVIVS RECTOREM MAGNIFICENTISSIMVM, ET ALTERAM SOBOLEM CELSISSIMAM, IVXTA CVM SERENISSIMO FRATRE GVBERNATORE DVCATVS MAGDEBVRGICI, ET CETERIS FRATRIBVS AEQVE SERENISSIMIS MARCHIONIBVS BRANDENBVRGICIS; SERVET TVAM AVGVSTAM DOMVM ET FELICITATEM EIVS CONSERVET.

Sic ſtante, florente incolumitate tua ſtabit florebitque ſalus ciuium tuorum, & miris auctibus incrementum ex te capiet, ac fructus feret vniuerſæ reipublicæ cum ſacræ tum ciuili, tum etiam litterariæ quouis tempore ſalubres ac vtiles. Stante & florente ſalute tua, ſalus florebit tuæ Academiæ, auſpiciis nunc tuis conſtitutæ, & de auguſto Nomine tuo, ad augendum ſplendorem illius, felici omine nomen ſuum auſpicatiſſimum ſortitæ. Repeto iterum iterumque lætitia incitante, pietate iubente, priſcam illam & nunquam non fructiferam vocem, DEVS TE SERVET, FRIDERICE,

vt

vt Fridericiana tua seruetur, & augescat, & ex tua firmitudine stabilitatem suam accipiat, quia Te saluo nihil desperamus, quod incremento illius vel ornamentis addi posse videatur, aut in maius altiusque promoueri. Hæc PRINCEPS optime, CONDITOR ET CONSERVATOR munificentissime, hæc inquam nostra omnium sit actio gratiarum, pro salute tua conceptis verbis vota facere, & tuam salutem, tuam felicitatem æterno, cui credis, & a nobis es creditus, Numini commendare. Tu vero, æterne Deus, his votis nostris adnue, vt lætetur tuus FRIDERICVS, & quam honori ille tuo dedicauit, floreat semper Academia FRIDERICIANA.



ORATIO II.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FRIDERICO,

REGI BORVSSIAE, MARCHIONI BRANDENBVRGICO AC S. ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO, CETERA.

IPSO REGALIS AVSPICII ET SACRAE VNCTIONIS DIE,

HOC EST

XVIII. IANVARII clↄ Iↄccl.

Habita.

MAiestas Regia nobis, Auditores, adoranda est. MAIESTAS. o quanta lux! REGIA. quam suauis vox! nam illa fulgore coruscat, qui

qui nostra omnia splendidiora reddit, omnia maiora, digniora facit: R E G I S nomen naturam indolemque beneficam sonat, qualem sidera benigniora præ se ferunt, quæ terram lumine ac contactu fouent, agris vbertatem præbent, quæ gignuntur iuuant, genitis incrementum dant, vitamque omnium tuentur & conseruant. Quos enim maiores in cælo ignes suspicimus, minorum siderum quasi Reges esse, & tam lumen illorum augere, quam illustrare terrestria, quis negat nisi cæli terræque imperitus, & indignus vt illius luce, huius opibus, cælesti munere productis, fruatur? Hæc maiora sidera & benefica lumina Reges in terris imitantur, vt in excelso loco, quasi in cælo constituti, humano generi opem ferant, & quod æquum, quod bonum est, omnibus impertiant. Cæleste itaque imitamentum & magnitudinem virtutis ad summum prouectæ audimus, quum lætissimo nuntio ex Borussia adfertur, hodie (o faustam lucem!) sereniſſimum potentiſſimumque Principem ac Dominum, Dominum FRIDERICVM, Marchionem Brandenburgicum & S. Rom. Imperii Archicamerarium ac Electorem, Patrem patriæ indulgentiſſimum, nostrumque mitiſſimum Dominum, benignis fatis & propitio cælo REGEM BORVSSORVM, digniſſimo tanta Maiestate apparatu, renuntiari, summæ potestatis insignibus splendidiſſimis, corona, sceptro, purpura condecorari, & ea omnia diligentiſſime fieri, quæ maximam REGI aucto-

 rita-

ritatem, hoc eſt MAIESTATEM dant, & ſpem maioris roboris, & firmioris præſidii, auctiorisque benignitatis ac munificentiæ non Boruſſis modo, ſed cunctis ditioni Brandenburgicæ ſubiectis, etiam vicinis & ſociis populis adferunt. Quos ergo nunc plauſus, ſplendidiſſimi Auditores, in Boruſſia efferri putatis? quas edi voces & fauſtas acclamationes? quæ vota fieri pro REGIS ſalute, pro REGNI proſperitate? quas audiri congratulationes? Non capit Boruſſia amplis finibus ſuis bona verba omnia, ſigna omnia lætitiæ: in noſtras repercuſſu regiones adferuntur, & heic, heic quoque læta omnia, quæ ibi proclamantur, exaudire mihi videor, quæ repetita voce hanc ciuitatem, hanc Academiam, & hoc ipſum, quod complemus, auditorium videntur perſonare. Iuſtæ lætandi gratulandique cauſſæ Boruſſis ſunt quotquot Regni feliciſſimi formam ac nomen accipiunt: iuſtæ quoque Brandenburgicis cunctis regionibus, quæ decus inde maius, quæ præſidium validius, quæ commoda largiora abundantioraque ſperant & exſpectant: iuſtiores autem præ ceteris huic noſtræ ſunt FRIDERICIANAE. Qua enim lætitia nunc ſenſus ſuos exprimat? quibus ſe plauſibus attollat, vt PATRI & SERVATORI ſuo gratuletur, & pro ſalute EIVS in ſeros annos proroganda pietatis officium faciat? Liberi gaudent & exſultant, quum parentibus honores noui accreſcunt, idque tam pietatis officio faciunt, quam ſpe opimio-

mioris fortunæ, qua inde sibi quoque prospiciatur.

Quod igitur religio officiorum iubet, quod subiectio multo demississima gestit, ad quod quisque obsequio suo ac munere incitatur; id hac luce, spectatissimi Auditores, deuote & alacriter prosequamur, nec vlli populo aut ciuitati concedamus, vt huius diei officio pietateque nos anteuertat, quia multæ nos maximi momenti rationes circumstant, quæ non tam adliciunt, quam premunt, vrgent, vt ceteros omnes hoc festo die si non voce, tamen mentis pia & fausta meditatione, & votorum sinceritate superemus. Glorietur incluta Regiomontanorum Academia, quod instituta sit a primo D V C E Borussiæ, ALBERTO Brandenburgico: at nostra est condita ab *REGE* primo ex eadem DOMO celsissima. Illa spectatrix huius diei magnificentiæ est: nos, quod oculis non potest subiici, locorum excludente distantia; animo repræsentemus, & mentis ac vocis officio agamus omnia, quæ præsentes illi concipiunt, quæ acclamant, & gratulantur. Quas partes quum mihi a magnifico PRORECTORE & omni Senatu Academico impositas videam, ad agendas illas, quantum possum, eo promtius accedo, quo ipse potentissimo REGI, meo clementissimo DOMINO, sum deuotior tum pietatis reuerentia, tum animi subiectione ac obsequio.

Maiestatem Regis FRIDERICI celebraturus, a diuinis vt auspiciis incipiam, res ipsa & sanctitas religionis admonet. Deum esse qui Reges mortalibus imponit, qui regna constituit, & firmat, & in tutelam humani generis conseruat; eodem veracissimo, qui hæc constituit, auctore est notissimum. Quum autem ipse se toties Regem, & cæli ac terræ Regem appellat, quid aliud quam potestatem summam, cum mirifica clementia coniunctam, significat? Id quod æternum exemplum est, ad cuius imitationem, quos Deus Reges in summo, quod mortales conscendant, fastigio locauit, componi vult & conformari, vt omnibus potestate, qua pollent, præsidio sint, & fortunis, quibus instructi, quam plurimis beneficiant. Facessant igitur, quibus exosum nomen REGIS est, quasi publicæ libertati inimicum: quum nihil per se iniquum sit, quod Deus sibi vindicat, & cum hominibus communicatum, Deum tamen auctorem habet: vt indolem magis beneficam Regum, & libertatis seruatricem, quam quidquam formidandum bonis, aut publicæ rei aduersarium præ se ferat. Sint gentium quarumdam iniusti domini, sint impotentes alibi tyranni; REGIS autem nomen sacrosanctum est & venerabile, beneficentiæ non minus, quam maiestatis signum, ad diuinum exemplar & ideam conformatum, quod minime pertimescant homines, sed bonitate eius, cui impositum a Deo est, perpetuo lætentur. Quod quum ita sit, ex ipso

nomine

nomine futurum præuidemus, vt ampliora ſint in poſterum, quibus nos REX benignisſimus adficiet, quippe natus ad benefaciendum, REGIO nunc nomine, quo diuinitus ornatur, ad præclare merendum fit multo excitatior. Tam mirifice bonus in ſuos omnes fuit, vt magis eſſe poſſe credibile non videretur: attamen nunc cumulus ad EIVS beneficentiam accedet, quia faſtigium, quo ſtetit ille, nunc altius in ſummum rerum humanarum eleuatum eſt: & ſplendor, quo decoratus fuit, ſereniore iam luce refulget, quam DIADEMA radiatum & nomen REGIS auguſtisſimum circumfundunt.

Exſulta ergo, o Fridericiana Academia! lætare REGIS tui auguſtiore habitu & forma: de REGALI munificentia tibi gratulare. PRINCEPS magnus & præpotens ELECTOR ingenti te ſumtu condidit; idem iam REX creatus te REGIO more, ampliatis cumulatisque beneficiis, conſeruabit. Quodſi non minus iucundi ſunt illi dies, quibus conſervamur, quam quibus naſcimur; non minori religione colendus eſt dies DIADEMATIS ſumti, quam ille prior natalitius, nam ex hoc initium Academia habet & per ſeptem annos liberalem conſeruationem: ex illo habitura eſt, quo liberalius in poſterum maioreque & Regali munificentia ornetur. Natalis, kalendæ Iuliæ, aut, correctis faſtis, v idus Iulias, vtique nobis ſacroſanctus eſt, eritque in perpetuum

tuum: nec vero minus hic, quasi natalis alter, a nobis est colendus, quo, qui priori die vitam accepit, & cæli lucem hanc adspexit, REGIS nomen & DIADEMA accipit, idque etiam cælestis nutu prouidentiæ. Mos fuit Romanorum Principum, quotannis duos natales celebrare, vnum quo nati erant & in lucem editi; alterum quo Orbis imperium susceperunt, quem non minus ac istum *natalem* appellauerunt, quod illo die in clariorem lucem reipublicæ producti fuerant. De Hadriano, Romano Imperatore, IX kalend. Februar. nato, Aelius Spartianus in Vita refert, tertio iduum Augusti die *Natalem Imperii* instituisse celebrandum, quum biduo ante, hoc est, quindo iduum Augusti æque adoptionis natalem celebrari idem iussisset. Quem ergo IMPERII NATALEM dixit, eius diei religionem C. Plinius Secundus reuelauit, quum ex Pontica, quam regebat, prouincia ita Traiano Imperatori scripsit: *Diem, in quem tutela generis humani felicissima successione translata est, debita religione celebrauimus, commendantes Diis, imperii tui auctoribus, & vota publica & gaudia.* Et alio anno ad eumdem Plinius: *Diem, Domine, quo seruasti imperium dum suscipis, quanta mereris lætitia celebrauimus, precati Deos, vt te generi humano, cuius tutela & securitas saluti tuæ innisa est, incolumem florentemque præstarent.* Etiam Traianus, respondens Plinio, DIEM IMPERII SVI vocat, eiusque publica repetitaque celebratione ma-

magnopere lætatur. Quid obſtat ergo, Auditores ſummi & ornatiſſimi, quo minus Romanum morem imitemur, & hunc XVIII Ianuarii, ſeu XV kalendas Februarias, natalem alterum ſereniſſimi clementiſſimique noſtri REGIS appellemus, eodemque ritu, & religione, quo adhuc coluimus natalem vitæ, hunc quoque REGNI primum diem celebremus? Quod ſi ita eſt, vt nemo dubitat, & adhæc illuſtre exemplum Romanorum probat; non ſollicite nobis diſpiciendum eſt, quibus cærimoniis, quoue ritu hunc feſtum REGNI DIEM peragamus, quia natalis vitæ, adhuc quotannis celebratus, præclaro documento eſt, quo & hicce ritu & qua religione a nobis ſit colendus & celebrandus. Quod antequam ingrediamur, de ipſo REGNO, quod hodie auſpiciis factis inauguratur, præfari aliquid non erit alienum.

Boruſſorum illud eſt, antiquæ gentis, nec Romanis olim incognitæ. Cornelius Tacitus, cordatiſſimus auctor, qui dextero litore maris Sueuici, hoc eſt Codani ſinus, adluantur, AESTIOS appellat, Germanicæ originis gentem, quamuis vltra Germaniæ limitem, qui Viſtula amnis erat, in Sarmatarum ſolo poſitam. Ex ſuccini prouentu, quem Aeſtiis ſuis dat Tacitus, ita eſt ad comprobandum facile, in Borusſiæ illos litore antiquitus ſedem habuiſſe, vt dubitare de eo non liceat. Magno enim conſenſu auctores veteres confirmant, illud gleſſi ſiue ſuccini nusquam copioſius in-

inueniri, quam in litoribus, quæ vltra Vistulam in finibus sunt Sarmatarum. Idem Cornelius huic Aestiorum genti Sueuorum ritus & habitum contribuit; at linguam similiorem Britannicæ. Laudat quoque colendi agri sollertiam maiorem, quam pro indole Germanorum, vt ab Rheno aduenisse videantur, quod eamdem industriam in Vbiis, Rheni accolis, C. Cæsar antea laudauerat: id quod etiam ad linguam, quam Tacitus notauit, aliquanto propius accedit. Alii ex Scandinauia, magna illa septemtrionis peninsula, quam vaginam gentium Iornandes dixit, egressos Aestios, tanquam Gothicam gentem, & litora illa occupasse referunt. Neutris fidem pro certo, vt solet in obscura antiquitate, habemus: industriam potius, quam laudat Tacitus, miramur, quæ prima caussa est felicitatis. Idem Iornandes, siue Iordanes, Rauennensis episcopus, & ipse Gothus origine, PACATVM HOMINVM GENVS hos Aestios non sine singulari laude dixit. Pacis studium virtutis fertilitatem probat, quæ largius in otio, quam inter arma & pugnas, prouenit. Indolem quoque discendis litteris idoneam, vtrumque Aestiorum studium ostendit, quæ postea clarissime eluxit, quum fatalis barbariei squalor, beatioris sæculi exortu, abstersus in Europa, & litterarum studia etiam in iis gentibus, quæ numquam illa habuerant, de nouo instituta propagataque felici auspicio fuerunt. Longo tempore has oras dictos populos tenuisse, idem Iornandes & Au-

relius

relius Caſſiodorus auctores ſunt, qua tempeſtate ad Theodericum, Gothorum in Italia Regem, legatos, quos Rex benigne exceperit, miſiſſe memorantur. Quod vero ſolemne illis temporibus fuit, vt migrationibus & coloniis commiſcerentur gentes, his Aeſtiis & alios acceſſiſſe, & cum illis coaluiſſe tandem, non eſt quod dubitemus, quum, in vrbibus præſertim, coloniarum, ex Germania interiore deductarum, abunde veſtigia, nec illa obſcura, appareant. Tum liberam & ſui iuris fuiſſe gentem, ad fidem pronum & probabile videtur: quo ſtatu & eo tempore fuiſſe intelligimus, quum S. Mariæ Equites Teutonici, ex Palæſtina eiecti, Boruſſiam occuparunt, vt reliquias Deorum cultus, in agris paſſim adhuc ſuperſtites, Chriſtianorum ſacris in locum ſubrogatis, exſtinguerent atque delerent. Bene res Equitibus ſucceſſit, qui regionem longo tractu temporum poſſederunt, antequam bello a Poloniæ Rege infeſtarentur, quod varia fortuna geſtum, tandem ita ſacros milites concuſſit, omni auxilio deſtitutos, vt Magiſter illorum ALBERTVS Brandenburgicus, FRIDERICI Franconici, qui frater IOHANNIS Electoris fuit, filius, cum Rege paciſceretur, eique parte, quam armis ſubegerat, relicta, maiorem ſibi & poſteris ſuis, ſub Ducatus forma, qui Polonicæ clientelæ eſſet, exuta ſimul tam Ordinis quam Pontificia religione, conſeruaret. Qui quod doctiſſimus Princeps erat, vt litterarum ſtudia in maius vna & melius proferret,

ret, in Regio Borusſorum Monte Academiam, quæ adhuc eſt florentisſima, conſtituit. Ab huius filio ALBERTO FRIDERICO Boruſſia hereditario iure ad ſerenisſimi REGIS noſtri Proauum IOANNEM SIGISMVNDVM peruenit, ſed nondum ad formam Regni apparata, quam demum noſtri REGIS Pater FRIDERICVS WILHELMVS, magnus ille virtute ac felicitate Princeps, ſoluto nexu clientelæ, conſentiente Rege & Republica Polonorum, tamquam victoriæ præmium adquiſiuit. Sic via ad Regnum patefacta erat, necdum vero Regni nomen & inſignia admiſſa, quæ in hoc tempus, quo amicior Genti Brandenburgicæ Fortuna, compoſitis bellis quæ Europam adflixerant, reſeruauit. Pacato autem Chriſtianorum orbe, felicisſimus FILIVS SVCCESSOR, DOMINVS noſter clementisſimus, quod dudum Domus incluta meruerat, & ad quod magnus Parens aperuerat acceſſum, propitiis fatis & cælo bene fauente ſuſcepit, hodie in Regio Monte REX BORVSSORVM, quod felicisſime vertat, auguſtis ritibus & fulgentisſimis cærimoniis creatus.

Plaudite nunc Auditores: feſto die bona verba dicite, grates perſoluite immortali Deo, qui Brandenburgicam DOMVM, abhinc nonaginta & retro annis magnam quidem, non autem pro magnitudine meritorum; tam amplis auxit prouinciis, & tot victoriis, & tantis felicitatibus ornauit,

ornauit, & in summum rerum verticem euexit, vt auspiciis diuinis nunc REGIAM dignitatem ac fastigium obtineat & tueatur. Et olim hanc eminentem gloriam Fortuna fautrix in MAIORIBVS prolusit. Quum mediocribus adhuc finibus res Brandenburgicæ continerentur; tamen hæc celsa Gens PRINCIPES habuit, quibus Regna quoque propter virtutis magnitudinem ab exteris offerrentur: quemadmodum FRIDERICO II. gloriosæ memoriæ Electori, & Polonicum & Boiohemum oblata in annalibus memorantur, quæ ipse vero propter graues caussas temporum, quæ admodum turbulenta erant, magno animo recusauit. Faustum ergo semper huic Genti nomen FRIDERICORVM fuit, quia FRIDERICVS Primus Electoralem dignitatem in hanc Domum intulit: FRIDERICVS Secundus dignus Regnis habitus, quæ ei quoque offerebantur: Tertius FRIDERICVS & dignissimus Regno habitus, & compos etiam nunc Regni Borussici factus est.

Reputate cum animis vestris, quam ingens munus diuinæ bonitatis sit, hanc inclutam Domum tantis auctibus vno sæculo amplificatam, & in tantum elatam fastigium esse, vt altius attolli nequeat. Sine exemplo hæc felicitas est, ab auorum memoria, & amplius, ad nostram vsque ætatem. Atteri nonnumquam illustres familias, & fortuna, quam habuerant, excidere videmus: quæ vero tantis successibus exaltata fuerit, & ad summum

ſine offenſa fortunæ tam breui tempore adducta, nec vidimus vllam, neque aliquot ſæculorum memoria ex annalibus obſeruamus. Cum naſcentibus creditum felicitatem oriri; quæ vero neque ſeruatur, neque tam cito augetur, niſi magnis ſit ſuſtentata virtutibus. Frequenti conſenſu ſapientes tradiderunt, Heroum virtutem a Deo eſſe, & fructum virtutis felicitatem: ſine quo auctore & duce eſſe tanta illa, neque ſeruari poſſit diutius. Nec vero preces nihil ac publica vota adferunt. Bono Principi bene omnes precantur, pro ſalute eius vota faciunt, quibus benigne Deus adnuit, nec preces infructuoſas eſſe ſinit. Quod ſi cæli munus bonus Princeps eſt, vti omnino eſt; cælo etiam imputemus, quod feliciſſimi noſtri FRIDERICI virtute, benignitate ac ſapientia tam conſtanter adhuc frui licuerit. Quæ natalitiis diebus voto publico precabamur, vt ſalutem PRINCIPIS Deus, vt ſecuritatem reipublicæ, vt temporum felicitatem ſucceſſione æquabili conſeruet; ea audiit Deus, & dedit quæ precabamur, immo maiora dedit quam precati ſumus, aut quisquam optare auſus fuit. Nihil imminutum fuit: omnia maiora, nitidiora, quam fuerant, videmus: nec non in dies maioris ſpes incrementi & nouæ proſperitatis adfulget.

O ergo nimium dilecte Deo tuo REX FRIDERICE! naſcentem TE ad opem humani generis bona & amica ſidera iuuerunt. Dei

hoc

hoc opus est, qui mentem piam, indolem erectam, animum sapientem cum Regiis fortunis tribuit, vnde felicitatis & omnium successuum exordium manauit. Amplexus es litterarum studia: hinc progressus felicitatis est Principum, quia litteræ fundamenta virtutum sunt, dum præcepta viuendi bene, & feliciter imperandi suppeditant: & quæ præcipiunt, exemplis maximis illustrant, quibus docetur fieri posse quæ præcipiuntur. Discitur ibi sub illustribus magistris, quorum exempla litterarum monimentis commendantur, Regum videlicet, magnorum Principum, & Ducum bello ac victoriis clarissimorum. Quæ si ætate tenera in consuetudinem venerunt, deinceps omnia officia vitæ, omnes melioris fortunæ euentus, & imperandi prudentia, & ipsa, quæ diuersissima videntur, militiæ & castrorum munia, conualescunt. Hinc est, REX, incredibilis TVA, quam Orbis miratur, sapientia, cuius semina Deus TIBI indidit, quæ litterarum studiis suscitata ad tantam, quam habes, maturitatem succreuerunt. Hinc pulcherrimi fructus ad rempublicam feruntur, & vt perpetuo ferantur & in posteros propagentur, non solum MAIORVM, sed TVIS maxime curis est effectum, qui tot vbique immenso sumtu alis & conseruas litterarum seminaria, nec contentus illis, quæ acceperas, nouum in hac vrbe condidisti, TVAM FRIDERICIANAM, quam tam impense amas, & tantis ornas beneficiis, vt vel sola documentum

 sapien-

ſapientiæ TVAE terrarum orbi quam illuſtriſſimum maximumque præſtet. Sapientia magiſtra omnes aliæ in TE virtutes ad ſummum ſunt perductæ, & quod ſummarum præmium eſt, ad felicitatis perpetuitatem. Hinc gloria TVA in immenſum creuit, & excreſcit in dies latior, vt nec finibus aliis, quam cæli, poſſit terminari. Huius nunc æque, vt omnium virtutum, ampliſſimos fructus capis, REGIS ornamenta & inſignia, quæ ingentium meritorum TE iampridem præmia exſpectarunt. Dignus etenim hac gloria eras, vt auri & gemmarum fulgor ſacratum verticem TVVM claro orbe complecteretur, & hinc inde radios emicantes deſignaret, quibus ſapientia TVA, cuius hi ſignum ſunt, longe lateque per ſæculorum memoriam diſpergetur. Vulgo creditur, minus valida arma eſſe vbi litterarum ſtudia plus ſolito floreant & creſcant, quaſi his animus emolliatur, vt robur inditum ac fortitudinem amittat. Secus ſe res habet, Auditores. Eualeſcit animus cultura litterarum, quia hæ gignunt ſapientiam, prudentiam alunt, conſilia expediunt, nec minus bello quam pace res gerendas regunt, & ad felices euentus perducunt. Monitis ſuis proſunt, exemplis præclaris incitant, & fortunæ caſibus, quos notauere, cautiores alios efficiunt. Romani, Græci documento ſunt, quorum felicitatem litteræ an arma plus adiuuerint, ita dubium plerisque ſapientum eſt, vt tamen, ſi quod ſentiant proferendum ſit, litteris

plus

plus omnino tribuant. Sed quid antiquis exemplis vtimur ad probandum de quo certatur? Vbi iam litteræ quam maxime coluntur, in Brandenburgicis putate regionibus; ibi quam plurima victoriarum monimenta sunt, quæ nemo dubitat ILLIVS sapientiæ tribuenda esse, cuius auspiciis geruntur bella: quo secus fieri non potest, quin litterarum quoque studia, quæ gignunt & nutriunt sapientiam, in laudum bellicarum societatem veniant.

Sed ad obsequium nostrum, illustres & amplissimi Auditores, reuertamur, vt faciamus quidquid diei huius religio nos admonet. Gaudia Plinius, & vota publica, & Traianum Diis suis commendatum memorabat. Gaudium vos omnes ore, vultuque & gestibus præferre video, cuius si vmquam iusta caussa fuit, nunc certe omnium est iustissima. Ecquando nobis tanta lux & vniuersis Brandenburgicis exorta est? quando tantus nos splendor circumfulsit, vt post innumeras felicitates, quas a clementissimo PRINCIPE ELECTORE habuimus, nunc nouum decus accedat, nouus adfulgeat splendor, qui REGIAM clementiam, REGIAM tutelam & præsidium, & liberalitatem REGIAM pollicetur. Quis non exsultet gaudio, quum hæc videt, quum audit, quum cogitat? At quid de sensibus nostris in gaudium effusis, quod omnibus manifestum est, iam loquor? ipsæ inanimæ res & sensuum expertes lætari mihi videntur, & hi parietes, no-

ſtris Muſis a munifico ELECTORE dedicati, quaſi geſtiunt congratulari, & ab REGE ſuo ornamentum REGIVM & decus nouum atque maius exſpectare. Video alios apparatus huius diei magnificentia dignos, qui gaudium, quod nos publicum capit, non ſinent leuiter pertranſire, aut intra mentem cuiusque ac conſcientiam contineri, ſed plauſu aerem feriente, ſonitu ad cælum concrepante lætitiam vere publicam extollent, & extra mœnia longiſſime celerrimeque proferent: vt quod in Heluii Pertinacis & Septimii Seueri, Principum Romanorum, nummis eſt, noſtrum quoque facere & parietibus inſcribere poſſimus, LAETITIAE TEMPORVM. Quæ quod ſub ſæculi auſpicium obtingunt, fauſto omine & aliam inſcriptionem, FELICITATI SAECVLI, memoriæ noſtræ repræſentant, quæ vt vere ſæcularis fiat felicitas, votis, precibus a Deo precamur, & quæ ſpes certa innisaque bonitati diuinæ eſt, etiam impetrabimus. Non enim ita lætandum eſt, ſummi Auditores, vt non animum ad fontem lætitiæ, qui Deus eſt, aduertamus. Is votis in publica lætitia colatur, tam exſoluendis veteribus, quam nouis pro futuro tempore concipiendis. Exſoluuntur vetera, quum ipſum, quod precati ſumus, vel maius illo, conſequuti, Deo, auctori bonorum, gratias agimus, & vt pergat benefacere, maiori pietate ſollicitamus. Dixi ſupra, quantum cum ſemper, tum maxime a ſæculo benigniſſimus Deus excel-

excelsæ DOMVI Brandenburgicæ contulerit, quæ quod cuncta eximia, quod maxima & incomparabilia sunt, vtique admonemur iis, vt grato animo & pia æstimatione tam ingentia Dei munera consideremus, quorum fructu vis innumerabilis hominum, etiam infimorum, sub tam iusto & tranquillo indulgentissimi PRINCIPIS imperio adhuc lætatur: quæ in maius nunc, accedente REGIA sublimitate, tamquam bonorum cumulo, quæ Deus dedit, extolluntur. De futuro autem vota gemina faciamus, sed arte inter se connexa, & pro salute REGIS ac ELECTORIS clementissimi, & pro Regni ac Prouinciarum incolumitate. Omnes promtos paratosque video, vt bene precentur REGI suo, vt salutem EIVS æterno Numini commendent, vt felicitatem publicam ab eodem petant, & sacris laudum se religionibus obstringant, quas Deo, votorum compotes facti, circumactis annis, reddituri sint. Romanorum nummis multis inscriptum in laurea videmus, VOTIS DECENNALIBVS: quippe decem annorum spatio imperium Principum diuidebant, & decennii felicitate potiti, vota soluebant decennalia; vna pro alteris decem annis, vicennalia nuncupantes: & annis viginti exactis, tricennalia signauerunt. Maior nostra pietas est, Auditores, quam vt vouendo, bene precando intra decem annorum gradus singulos consistat; sed quod in votis summum est, saltu quasi vult contingere

ac adſequi, & vnis votis impetrare omnia. Itaque decennalia vota pro ſalute REGIS ita facimus, vt vicennalia ſimul, & tricennalia, & ſi quæ vltra ſunt, comprehendamus, nec non interea annorum ſingulorum rationem habeamus.

Vide ergo, REX ſacratiſſime, vide DOMINE multo clementiſſime, quanto ſtudio quanta pietate ſaluti TVAE intenti ſimus. Audi bona verba, & lætare: audi pias voces, fauſtas acclamationes pro ſalute TVA, pro felicitate TVA, pro incolumitate TVORVM omnium in cælum certatim emiſſas, quæ efficiant neceſſe eſt quod volunt; & impetrent quod optant, quia robur diuinum ineſt precibus, quas tanta vis hominum in tam pia & iuſta cauſſa fundit. Nec enim quisquam in Regno TVO eſt, in cunctis TVIS, quam late patent, Prouinciis, quin idem nunc ſentiat, idem loquatur, idemque a Deo pro ſalute TVA conceptis formulis precetur. Omnes alta voce clamamus, omnes ex animo precamur: Seruet TE Deus, REX feliciſſime, annos Deus TVOS augeat, conſilia, actus fortunet, ſucceſſum pace, bello exoptatum det. Seruet TE Deus, vt plurimos ſerues, omnibus benefacias, & quod proprium noſtrarum precum eſt, litterarum ſtudia, ſicut facis, benigniſſime ſemper foueas & conſerues, quo vberiores fructus ad rempublicam ferantur, &, quod conſequens eſt, ſacrum NOMEN TVVM, vt mereris REX, conſecretur æternitati. Seruet quoque Deus ſereniſſi-

reniſſimam CONIVGEM, auguſtam REGINAM, & ipſam multo clementiſſimam DOMINAM noſtram, vt REGIA illius indole ac ſuauitate perpetuo læteris. Seruet Deus & IVVENTVTIS PRINCIPEM, Regni & Electoratus Heredem, DOMINVM itidem noſtrum clementiſſimum, RECTOREM FRIDERICIANAE TVAE MAGNIFICENTISSIMVM, vt per ipſum aliquando & poſteri felices ſint, ſicut TVO, REX, imperio ſalui nos præſentes ſumus. Deus quæ precamur audiat, & donis in TE ſuis & in TVIS omnibus adiiciat perpetuitatem.



ORATIO III.

FRIDERICO III
MARCHIONI BRANDENBVRGICO, SACRI ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO ET ELECTORI, CETERA.

DE NATALI XXXX
CALEND. IVL. cIↃ IↃC XCVI
EXORTO,
Habita.

ITa Deus nos omnes amet, Auditores, vt clarissimis documentis hodierno die intelligimus, esse Numen, quod vota audiat, & nutu propitio mortalibus concedat, quæ precibus illi & supplicationibus, pietatis officio instimulante, cælesti confisi benignitate, petierunt. Quæ enim superiore anno, publicæ salutis caussa, ex hoc loco vota fecimus; eorum solutione nos damnatos esse, lætabundi nunc omnes confitemur. Quidquid bonorum mortales possident, a Deo immortali in ipsos profectum est, qui bonitatem suam omnes patitur circumfluere, vt ab omnibus venerationis fructum & laudes, quas debemus, accipiat. Longum foret per humanam vitam, auditores, cursitare, & singulorum conscientiam testari,

ri, vt, quæ quisque diuinæ beneficentiæ debeat, vel periculis ereptus, vel cumulatus ingentibus bonis; grata & pia cogitatione in memoriam reuocet. Memor festæ huius solennitatis, intra eiusdem me limitem contineo, nec quidquam adferendum in hunc illustrem consessum puto, quod non proprium huius diei sit, eiusque diuinam felicitatem clarioribus argumentis ante oculos proponat. Sunt hæ Calendæ Iuliæ, illa fausta lux & auspicatissima, quæ ante triginta nouem annos propitio fato his terris donauit, quem instar benigni sideris, quotquot heic præsentes sumus, aut in prouinciis consentientes scimus, intuemur lætabundi, veneramur fiducia pleni, & gratæ mentis obsequio nos ei subiectissimos esse profitemur. Eadem dies natalem tertium Academiæ reducit, &, quod iucundissimũ nobis omnibus est, serenissimo Iuuentutis PRINCIPI & Electoratus HEREDI, augusti PARENTIS voluntate, tertiis auspiciis, quod feliciſſime vertat, Academicos fasces præferri videt. Intra hos fines stet mea oratio; his lætandi & gratulandi officiis terminetur, si vere terminari potest, quod, quamuis in circulo suo persistat, amplissimum tamen ambitum habet, & in immensa prope spatia excursus suos facit. Si vel sola vota superioris temporis, quæ audiit Deus, apud animum proponamus, patentissimum campum ingrediemur, vnde haud facile nos expediemus, quod fecunda illa & fructifera vsque adeo fuerunt, vt ne numerare quidem beneficia pos-

possimus, quibus Deus nos, nostris precibus excitatus, benignissime cumulauit. Quæ etsi multitudine sua laborant; vno tamen voto, quæ SALVS PRINCIPIS est, comprehendi posse omnia censemus, ne oratio, suo spatio circumscribenda, in longum vltra modulum excurrat. Dicam de VOTIS pro tam augusta salute soluendis, nuncupandisque, atque ex veteri ritu quemque nostrum sui officii, hoc die peragendi quamvis non selectis verbis, piis tamen & deuotis, admonebo. Vos autem, summi & splendidissimi auditores, fauete quæso, benigne auscultantes; & sequimini me, bona verba pro MAGNI PRINCIPIS salute, ex officii devotione, religiosissima cura præiturum.

Prisci mortales, sapientissimi vtique & cordatissimi viri, magna religione celebrarunt illum diem, quo in lucem editi, aut seruati ex periculo erant, vt quisque inter familiares & amicos suos nihil diceret faceretque, quod fausto omine careret, nec futuri temporis prosperitatem lætiore quodam signo polliceretur. Id quod ex eo se mereri crediderunt, si recurrentium annorum, quibus se auctos intelligebant, gratam memoremque rationem habuissent. Hinc votorum nata religio, vt diis suis supplicarent, quo & in posterum illorum numine felices & incolumes esse liceret; quod si diuinitus impetrarent, non modo ad laudes & gratias agendas, sed ad opus sæpe votiuum faciendum, aut immolandam hostiam, & se & suos obliga-

ligauerunt. Sunt varia votorum genera, quæ quisque priuata ratione ductus adsignat, & consequutus quod petierat, soluit rem votam, & promissorum religione se exuit. Vilis hæc & vulgaris vouendi ratio, nec ad nostrum, quod sequemur, institutum aut ritum pertinet. In antiquis nummis, Augusti præsertim & Hadriani, illustriora memorantur, VOTA nempe PVBLICA, hoc est pro imperii salute, aut eius, a quo salus erat omnium, ab senatu populoque concepta. Varia huius generis argumenta erant; Quum dubius bellorum exitus esset, victoriæ certioris spes vouendo sæpe præsumta fuit, quemadmodum Samnitico bello M. Attilius cos. Ioui Statori templum: & Veienti, M. Furius Camillus; Gallico, Seruilius Ahala; Aetolico, M. Fuluius Nobilior ludos magnos eidem deo, tanquam præmia victoriæ, vouerunt. Traditum memoriæ est, eandem ob caussam Iunoni Sispitæ, Marti vltori, Fortunæ Primigeniæ, Fortunæ Equestri, sacras ædes a ducibus votas, & post victoriam magna religione dedicatas fuisse. Nec minus in publicis malis, in morbis & pestilentia consul Apollini, Aesculapio, & Saluti dona vouere, & dare signa inaurata ex Sibyllinis libris iussus est. Priscis temporibus, sub tribunis militum consulari potestate, ob eandem caussam, ædem Apollini PRO VALETVDINE POPVLI votam dicatamque accepimus. Sed nunquam maiori studio atque cura res votorum suscepta fuit, quam quum penes vnum,

vnum, ab Octaviani temporibus, potestas imperii esse coepisset. Mos enim inualuit, vt non fortuna modo aut casu postulante, sed officii etiam & venerationis caussa, statis diebus per singulos annos pro SALVTE PRINCIPIS, vel natali eius die, vel quo imperiū acceperat, vel, quod Caius iurisconsultus refert, tertio die post calend. Ianuarias vota vnanimes nuncuparent, quae vertente anno, quum noua suscepturi essent, grata mente reddiderunt. Sic non Romae tantum, aut in Italia certatum officiis fuit, verum etiam in prouinciis, vt Plinius, Traiano scripsit, prioris anni votis persolutis, commilitones & prouinciales noua vota suscepisse, quod libenter etiam & grate a Traiano acceptum est. Quae proximo, quae superiore anno precati a Deo immortali sumus, quod laetitia vultus vestri prodit, auditores, haudquaquam ex animo & memoria elapsa sunt. Scilicet mecum precabamini, vt Deus serenissimum nostrum PRINCIPEM ELECTOREM, & excelsam eiusdem FAMILIAM, remque omnem publicam, atque hanc Academiam, florentem & incolumem ea benignitate seruaret, cuius tot egregia signa, & non dubia argumenta prioribus annis in eiusdem celsissimae DOMVS salute cognoueramus. Maiores, quum vota noua facerent, saepe precibus suis eiusmodi formulam adiiciebant, SINT RATA VERBA, SIT RATVM QVOD VOLVMVS, EFFICIANT DIVI DIVAEQVE RATAS NOSTRAS PRE-

PRECES. Num vero nostra, superiore anno concepta, fuerunt irrita? num vllum illorum cecidit, neque singula potius valuerunt prout animo, ore susceperamus? Precati salutem sumus serenissimo ELECTORI & DOMINO nostro: saluus, incolumis, sine vlla offensione valetudinis huius diei lucem adspicit, & rursus annum feliciter exactum esse lætatur. Precati sumus eandem prosperitatem serenissimæ CONIVGI, Dominæ nostræ clementissimæ; florentissimis LIBERIS, principibus iuuentutis: incolumes, saluos adhuc omnes habemus, nunc optimo Marito, & Parenti, de natali, faustis auspiciis exorto, lætissime gratulantes. Precati sumus felicitatem vniuersæ Domui Brandenburgicæ, vt cum omnibus sanguine, adfinitate, aut fœdere coniunctis eodem fortunæ fastigio persistat: perstat, adsurgit altius, ad summum contendit, nisi iam tum, quod summum est, consequuta fuit. Pax domi inconcussa, exercitus foris inuictus, tranquillus rerum nostrarum status, fertilitas agrorum, commerciorum secundior successus; hæc, inquam, illa bona sunt, quæ cum summo voto, SALVTE PRINCIPIS, pro publica felicitate superiori natali die precabamur. Cæli hæc munera esse, & Deo O. M. deberi, non ignoramus; sed nec illud nobis dubium aut minus manifestum est, cuius diuinitus data sapientia, virtute, & in suos amore hæc omnia dispensentur, dirigantur, & in æquabili temperamento conseruentur. Quis itaque non intel-

intelligit, nos reos votorum omnium esse, quæ prioribus annis concipiebamus? Soluamus ergo, reddamus Deo, quæ debemus: laudemus eius, vnde hæc bona profecta sunt, infinitam benignitatem: conceptis verbis, quæ præiturus sum, gratias clementiæ eius ita agamus: Summe Deus, quo indigniores sumus beneficentia tua; eo maiores agimus habemusque tibi gratias. Adnuisti votis nostris, preces supplices audiuisti: dedisti omnia quæ rogabamus: dedisti plura, quam rogare sustinebamus. Saluus est sacratissimus ELECTOR; hoc tuæ benignitatis munus est: salua & florens est excelsa Domus Brandenburgica; hoc numeramus in beneficiis permagnis tuis: tranquillus status est reipublicæ; etiam hoc tibi debemus, Deus, qui conditor & seruator es rerumpublicarum: domi quies inperturbata stat, fixa foris sunt victoriæ tropæa: vtrumque tuum opus est, o princeps pacis, & exercituum domine! Salubritas cæli, vber prouentus terræ, salutiferæ præsentiæ tuæ vestigia sunt. Fridericiana hæc tuis auspiciis condita, tuo seruata præsidio, documentum præbet sapientiæ & bonitatis tuæ, & admirabilis prouidentiæ. Sed cuius est facundia tanta, vt omnia beneficia tua non dicam prædicare, sed tantum enumerare possit? Multitudine obmutesco: stupesco eorum magnitudine, quia nec numerus iniri potest, nec, quanta sint, exputando inueniri. Summam eorum effert, qui SALVTEM PRINCIPIS nominat, quia

in

in illa SALVS PVBLICA continetur. Hoc eſt, quod denuo experti nunc omnes intelligimus, &, ſi non voce, adfectu tamen omnes prædicamus, tibique, æterne Deus, auctori huius fecundi ac fructuoſi beneficii, æternas laudes dicimus, & immortales gratias habemus. Putatisne, auditores optimi, his meditationibus ſoluta vota eſſe, quæ ſuperiore natali die in hoc loco nuncupabamus? an vero perſolui poteſt, cuius æterni ſumus debitores? aut Deo reddi aliquid, vbi non eſt finis ab eo accipiendi, quia noua eius beneficia ſemper veteribus adcreſcunt? Tanta tamen erga nos Dei bonitas eſt, vt ſoluiſſe interpretetur, quum volumus: aut tantum ſoluimus, quantum poſſumus, non quantum debebamus. Nec vero laudes modo vouebant olim Romani, aut trium vel decem dierum ſupplicationes: ſed etiam operibus, quæ edebant vel exſtruebant, gratos pioſque & religioni ſe & iudicio hominum exhibebant. Romanos templa & ædes Ioui, Iunoni, Marti, Apollini, Fortunæ, aliiſque diis, deabus; ſæpe etiam ludos magnos vouiſſe, iam ſupra memorauimus, nec ignotum illis eſt, qui in Romana antiquitate vel mediocriter verſati ſunt. Abominor impietatem, deteſtor exſecranda ſacra, quibus idcirco deuoti Romani erant, quod neſciebant veriora. Eſt tamen in iis, quæ coluerunt Romani, quod forte repurgari, & in vſum, Chriſtiano non indignum, conuerti poſſe videatur. Templum id BONAE MENTIS eſt, quod Hannibalis bello Q. Fabius

vouit, T. Otacilius dedicauit. Hæc Fridericiana mihi, auditores, illud templum bonæ mentis videtur, in qua docendo, discendo quotidie ea sacra fiunt, quibus mens bona præparatur, hoc est doctrina sapientiæ, & ad legem honestatis formati emendatique mores. Satis de ædibus votis: de ludis votiuis addo pauca. Facessat ludibunda Roma cum agonibus suis, cum magnis ludis, aut circensibus, quos & ipsi sapientiores Romani contempserunt, in litteris ac inter libellos & pugillares illos dies transmittentes, quos alii otiosis occupationibus perdebant. Turbæ & vulgo relinquamus fauere panno & colori, cupere currentes equos & insistentes in curribus homines: nunc Venetæ factioni, nunc prasinæ, aut russatæ suum studium, suas addicere adclamationes. Melioribus innutrita ingenia non capiuntur his vanitatibus. Fortassis autem Apollinares ludi propiores instituto nostro sunt, non quidem quales Punico bello, vatis Marcii & Sibyllæ carminum admonitu, Romani primum in circo maximo fecerunt; sed quos Augustus in animo habuisse videtur, quum Apollini templum in Palatino dedicaret, eique & ædibus suis coniungeret Apollineam bibliothecam. Non est, quod aliquem profanum nomen offendat, qui non deum commenticium, sed verum Musagetam & rei litterariæ nostræ statorem seruatoremque designo, cui omnes obstricti ad ludos litterarios faciendos sumus, & ad sacra doctrinæ ac virtutis

cer-

certamina, quos non amplius Apollinares ludos, sed FRIDERICIANOS appellemus, quorum victores, generosi & exculti iuuenes, non secus quam iselastici, honorifice in patriam, ornati multiplici scientia & virtute, dimittantur. Non dubito, quin mecum sentiatis, auditores, & quæ olim vota fecimus pro Principis optimi salute, sic, quantum fieri a nobis potest, quodammodo soluta, quamuis non persoluta, censeatis. Restat altera pars officii, quod hoc natali die obeamus. Ea est votorum pro futuro tempore deuota nuncupatio. Pium enim ac necessarium esse iudicamus, vt tot bonis mactati diuina benignitate, nouis votis & repetitis precibus etiam futuram felicitatem cogitemus, præsertim quum nihil sit, quod spem nostram interpellet, quo minus alacrius voueamus, postquam nunc omnes intelleximus, non infructuosas fuisse, quas superiore anno pro salute publica preces adcurauimus. Quis non inde omen adripiat futuræ quoque felicitatis? Apud Romanos AVGVRIVM SALVTIS erat, quod, nisi quieto imperio, non poterat rite fieri, ideoque a Ciceronis consulatu, post orbem virtute Pompeii pacatum, ad Augusti vsque tempora & Ianum ab eo clausum; & inde rursus per quadraginta quinque annos, ad medium imperium Claudii, intermissum. Dione Cassio prodente, diuinationis illud genus erat, quo publice probaretur, concederentne dii, vt populo salutem peterent; quasi nefas esset rogare, nisi prius iidem

permisissent. Habeant suos ritus, sua auguria pagani: nos nostris insistemus, aut corrigemus in Romanis, quod prauum; emendabimus quod pollutum est superstitione. Dubios de Numinis voluntate oportet eos fuisse, qui in colendo illo longissime aberrabant. Liberior ad cælestem curiam accessus Christianis patet, tot signis de cælo obseruatis, tot diuinis promissis complanatus. Ex euentu votorum superioris anni, de nouis, augurium salutis certius, quam Romanorum erat, captamus. Quo confisi, optimo Principi gratulamur, & pro salute eius sic vota in futurum soluenda conceptis verbis nuncupamus:

Serenissime ELECTOR, Domine indulgentissime, tuus hic festus dies est, tuæ salutis noua hæc auspicia. Tibi omnes gratulamur, tua omnes lætamur incolumitate. Salue, carum Deo tuo CAPVT, salue, care prouinciis tuis, & singulis, qui in iis ciues tui & clientes sunt. Lætare bonis tuis, quibus sufficis: fruere felicitate, quam mereris, quam solutis votis, quæ feceramus, firmatiorem esse nunc omnes intelligimus. Noua vota suscipimus pro salute tua, qua publica continetur, Deum precantes, vt velit ea semper solui, semper non in charta modo, sed in mentibus nostris signari. Per testes hos omnes signamus, in tua statua figemus, vt futuro anno de soluta charta & TIBI & nobis Deo bene iuuante, gratulemur. Deus Te diu terris commendet: nos Te Deo tuo commendamus, quo gloriosi PARENTIS acta æques, vi-

ctorias superes, annos longæuitate vincas, vt quamdiu inter mortales eris, nihil mortale ex Domo tua sentias, de mortalium genere semper bene merearis. Deus Te seruet, PRINCEPS OPTIME, vt multi, vt omnes nos per TE seruemur: Deus seruet serenissimam CONIVGEM, Dominam nostram: seruet serenissimum FILIVM, delicium nostrum, & tuo exemplo formatum, TIBI aliquando consortem det, serissime successorem. Seruet & celsissimam FILIAM, celsissimos serenissimosque FRATRES, Agnatos, Adfines, fœderibus iunctos, vt vndique felicitas tua stabiliatur. Habes, quæ ceteri futura sperant: possides quæ multi se consequuturos esse desperant: quod optant alii, Tu, Deo volente, tenes, tuæ ditionis est. O nimium Deo dilecte, cui æther MINISTROS prospexit sine exemplo fideles, dexteritate incomparabiles, vsu rerum & sapientia nemini secundos. Deus hos comites TIBI seruet, hos consiliorum inuentores, adiutores rerum gerendarum omnium. Inuictus est exercitus tuus. Deus victorias augeat, tuis faueat triumphis, vt cum potentissimis Sociis Germaniæ pacem restituas, restitutam confirmes, confirmatam ad seros posteros, si qui futuri sunt, transmittas. Sic, qui fructus pacis sunt, virtus & liberalia studia florescent, & Fridericiana tua, inter armorum strepitus genita, pace & otio reficietur, & nouis subinde incrementis aucta, caput lætius extollet, tuamque gloriam amplificare studebit, & se tuam

filiam virtutis amore, ac ſapientiæ tuæ imitatione geret; quæ Tecum iam ſic agit, & venerabunda adloquitur: Indulgentiſſime PATER, ſoboles ego tua ſum non ficte, vt Iouis Minerua, ſed vere ex ingenio tuo nata, a TE condita & conſeruata. Lætor inprimis natalis tui exortu nouo, exortu auſpicatiſſimo, quia eundem diem & mihi natalem eſſe clementiſſime conceſſiſti, vt annos meos cum tuis numerem, & meam ſalutem in tua contineri per ſingulos annos intelligam. Quidquid habeo, tuum eſt: ornamenta mea omnia tuæ munificentiæ ſunt opera: ſpes incrementi mea ex tua pendet liberaliſſima voluntate. Diligis me, vt pater filiam, quia, quem vnicum FILIVM habes & tenerrime amas, mihi tertium nunc RECTOREM das. Hoc pignus amoris in me tui eſt, hoc ſperandæ maioris felicitatis fundamentum, quia is mecum adoleſcit & adſueſcit rei litterariæ, propter quem nihil mihi negabis, omnia mihi conſeruandæ, & nouis auctibus ornandæ dabis. Deus Te reſpiciat, PATER optime, Deus reſpiciat FILIVM tuum, RECTOREM meum, & audiat ſuſcepta vota mea, ſicut Tu audis preces meas. Age, benigniſſime PATER, quæ deſunt mihi, adiice: quæ obſtant incremento meo, prouidus diſpelle: & veræ elegantiſque doctrinæ ſtudia, quæ ſola ætatem ferunt, ſola augendæ tuæ gloriæ ſufficiunt, magno animo, ſumma ſapientia tua, in me conſolida, confirma. Periculoſæ nouitates, auctoritate tua, vt ſole premente,

mente nebula, vanefcant, diffipentur: inculta barbaries, temporibus meis non iam adrepens, vt antea, fed proteruius adfultans, procul a fede fapientiæ tuæ, quam dedicafti, repellatur, vt elegantiores litteræ reuiuifcant, quia hæ folæ funt, quæ laudes tuas augeant, quæ gloriam tuam pofteritati fempiterne commendent. Vindica, Domine, bonas litteras, fapientiæ veræ nutrices: in Fridericiana tua, potentiffime STATOR, eas ftatumina, vt ex illa femper prodeant, qui pectus fuum earũ artium cognitione impleuerint, quibus inftructi rempublicam capeffant, eamque tuentur ac firmiter ftabiliant. Age mecum pro fapientia tua, pro amore tuo: fic bene femper mihi erit, nec vnquam ceffatura fum pro falute tua vota facere, & facta, grati animi pietate fubmiffioneque foluere, ac gloriam Tuam litterarum monimentis æternitati commendare. Sic Tecum, PRINCEPS MAXIME, Academia tua, fpei plena, & ex natali tuo nouis fignis ad bene fperandum excitata & exhilarata agit: fic TIBI perpetuam falutem & feliciffimum imperii curfum precata, fuam incolumitatem, fua incrementa, ornamentaque, demiffiffima fubiectione ac fiducia commendat.

Tu vero, æterne Deus, auctor & feruator vitæ hominum, rerumque publicarum potentiffime firmator, fac, quæfumus, rata vota fint, quæ pro falute indulgentiffimi PATRIAE PATRIS, pro DOMVS BRANDENBVR-

GICAE constante incolumitate, pro Fridericianæ Academiæ conseruanda & augenda prosperitate deuoti, submissi, ac supplices, nec vero dubitantes, sed confisi bonitate tua, ad vnum omnes nuncupauimus. Sis quoque in posterum propitius tuis muneribus, iisque tanquam cumulum addas, quam omnes precamur, quam omnes speramus, FELICITATIS BRANDENBVRGICAE perpetuitatem, vt florente atque incolumi republica hunc natalem diem sæpe nobis iterare liceat, atque vt is quotannis immensa bonitate tua iucundior nobis lætiorque recurrat.



ORATIO IV.

FRIDERICO III
MARCHIONI BRANDENBVRGICO, SACRI ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO, CETERA.

DE NATALI XXXXI

CALEND. IVLIIS cIↃ IↃcxcvII.

EXORTO,
Habita.

MAiores nostri, cordatissimi mortales, vim singularem ominibus inesse, & ex eorum auspiciis fortunam insequentium temporum iudicari crediderunt. Quod quamuis superstitionem præ se ferre videatur, quod sæpe aliter euenire videmus, quam omina illa siue auguria nobis addixerant: tamen si res nostras, earumque cum diuina sorte nexum, hoc est cum prouidentia, cogitamus; vtique non omnis ex omine significatio contemnenda est. Sunt in rebus (ita Deus ordinauit) futurorum euentuum quædam proludia, quæ si fausta & felicia contigerunt, lætioris aliquando spem exitus ostendunt & confirmant, quod Deo

 auspice

auſpice incepta nunquam male poſſunt, hoc eſt contra omina, euenire. Et, ſi etiam nihil, quod diuinum eſſet, (id vero aliter eſſe putamus) bona & fauſta omina adferrent: non tamen parui, ſi quid iudico, faciendum illud eſt, quod eadem accendunt animum, eumque promtum efficiunt, & optima ſpe adimplent, qua percitus quiduis magnum, etiam cum periculo, adgredietur. Ex quo fieri ſolet, vt exitus plerumque, initiis non indignus, conſequatur, quia, quæ forti animo ſuſcepta ſunt, maiori alacritate perficiuntur, & induſtriæ mercedem, hoc eſt felicem euentum, raro non coniunctam habent. Sed nondum, eo confugiamus, neceſſe eſt, quia non deeſſe mihi ſentio, qui rerum omnium ordinem & cauſſarum connexionem meditati, in meam ituri ſint ſententiam, non omne fortuitum eſſe credentes, quod omen appellamus, ſed cæleſtis prouidentiæ diuinum ſæpe ſignum documentumque prænotare. Id ſi vnquam mihi eueniſſe credam; hoc die, auditores, mihi video euenire. Quis dubitet diuinitus accidiſſe, vt hoc munus, quod ineo, mihi ſummorum aliorumque voluntate offerretur, id quod quum hodie mihi rite, quod bene vertat, ac commodo Academiæ auſpicandum ſit; vnde felicius & meliori omine auſpicabor, quam ab auſpiciis ſereniſſimis, quibus hodie nos omnes illuſtramur? quid dici agique cum maiori ſpe fauſtitatis poſſit, quam quod natalis maximi optimique PRINCIPIS imperat, idemque natalis huius Academiæ?

miæ? Si læti ominis esse censemus, sub auspicium suscepti muneris, congratulantium vocibus honorari, eisque, tanquam signis erectis, ad bene sperandum excitari; quanto auspicatius erit id primum agere officii caussa, quod omnibus lætum, salubre omnibus, & in primis serenissimo PATRIAE PATRI iucundum, atque etiam reipublicæ est necessarium? seu, vt id clarius, auditores, exponam, quid felicius, quam auspicii caussa pro optimi PRINCIPIS salute vota ante suscepta reddere, ac noua nuncupare, hoc est, Deo seruatori gratias agere, Deum, vt seruet in posterum, sollicitare? Quæ si rite a nobis, vt omnes debemus, peragentur; etiam euentum habebunt lætiorem, quia piæ preces, & iusta vota nunquam sunt infructuosa, sed, quæ diuina est benignitas, quod petunt, impetrant, aut maius etiam & melius quam petebamus, consequuntur. Admonemur hoc die quisque officii sui, vt curatius meditemur, quantum illud beneficium sit, quod cælo debemus, quo nunc ornati, cumulati omnes sumus; quod saluum, incolumem, augustis rebus florentem habemus PRINCIPEM; quod DOMVM BRANDENBVRGICAM in dies feliciorem videmus: quod nostræ etiam Academiæ, benigne conseruatæ, inter plausus & vota congratulamur. Hoc est quod a Deo immortali superiori anno precabamur: hoc, quod votis nostris benignissimus Deus adnuit, & abundantissime dedit, vt hunc diem omnes communiter, &

inter

inter suos quisque gratulationibus transigere, & ex diuinis signis futuram coniicere felicitatem, ac bene sperare de rebus suis atque publicis possint. Gratulandum est hac luce publice: vota, superiori tempore suscepta, rite persoluenda, noua facienda, consignanda, adfigenda, vt salutem Deus optimi ELECTORIS, diutius conseruet, felicitatem DOMVS BRANDENBVRGICAE augeat, & suis in eam maximis beneficiis adiungat perpetuitatem. Quod munus cui potius quam mihi, aut quando magis, quam hoc tempore exsequendum est, quo eam personam mihi impositam esse intelligo, vt praeeam in iis omnes, quae publico nomine agenda sunt in Academia, vt officii quemque sui, quod faciat hodie, admoneam, & vbique prouideam, ac meo caueam exemplo, ne quid pietatis persoluendum tanto PRINCIPI, non persolutum praetermittatur. Quod igitur bene & feliciter eueniat, mei quod est muneris facio, & quod hac luce faciendum & mihi & vobis est omnibus, laetus plenusque spei adgredior, vt Deo, gratias agendo, superioris anni vota persoluamus, & ELECTORI quod debemus obsequium, gratulatione praestemus, ac noua vota pro futuri temporis prosperitate supplices suscipiamus, omnia agentes, dicentes, quae laetissimi diei solennitas, & NATALIS PRINCIPIS, & nostri PRINCIPIS, ac indulgentissimi PATRIS, & pietas Academiae erga CONDITOREM suum a singulis nostrum, a me praecipue, nouo Prorecto-

re,

re, exigunt atque postulant. Vos vero, splendidissimi auditores, lingua, animo faueatis mihi rogo, & me sequuti, certetis mecum & inter vos singuli piis votis atque precibus, faustisque acclamationibus, vt hoc annale munus Deo gratum, ELECTORI gloriosum, nobis autem salubre sit & nostræ Academiæ, ac futuri temporis fructus perpetuos, id est felicitatis stabilimentum adferat.

Quod diuinis rebus operantes faciunt, vt ora in eam cæli plagam conuertant, a qua lucis est exordium: idem mihi his nataliciis sacris faciendum esse intelligo, vt & oculos & vocem ad illam cæli regionem vertam, quam plenis nunc radiis LVX Brandenburgica, ELECTOR serenissimus, illustrat. Nouistis omnes, ex Marchia sua in Borussos nuper profectum esse, vt cum alia illius prouinciæ ordinaret; tum propior regno Polonico esset, quod sua interesse vidit, qui Rex a Polonis eligeretur, quod Brandenburgicæ prouinciæ non vno loco attingunt fines Poloniæ. Ita vulgo, vt nostis, iudicatur de itinere, quod ego mihi relinquendum duco, quia neque illorum consuetudinem probo, qui in vmbra scholarum & academiarum de arcanis reipublicæ, de institutis militaribus; aut de futuris etiam euentibus magno clamore disputant, quas res ipsi summi Principes a nostro otio procul abesse, suisque claudi aulis ac contineri imperauerunt. Illud potius in hac itineris caussa dicam, in quod ea studia, quæ assi-

due

due colo, me planius inducunt, quod iustas quidem rationes habet, nec vero in aularum penetralia siue adyta irrumpit. Superiori anno serenissimus ELECTOR in occiduas Germaniæ partes, in Menapios & Sicambros profectus erat; iam in Sciros & Aestios, qui extrema Germanorum, ab ortu æstiuo incolunt, honorifico comitatu egressus. Scilicet magnorum Principum animus, vti ex cælo originem ducit, cælestium rerum naturam æmulatur, quæ ita, quod scitis, comparata est, vt nunquam quiescat, sed semper id agat, quod terris salubre & fructiferum sit, & vitam dat ac conseruet animantibus: quod vt præstare possint benignius, velocissimo motu circumrotantur, vt vbique perlustrent omnia, & tactu suo refoueant & refocillent omnia. Hoc optimus quisque Principum Romanorum imitatus fuit. Octauianus Augustus non in otio vrbis delituit, sed dum ætas concedebat, sæpe in prouincias excurrit, vti plures consulatus eius documento sunt, quos non Romæ, tanquam in otio, sed foris ac in prouinciis longinque remotis suscepit. Nam quartum consulatum in Asia: quintum in insula Samo: octauum & nonum Tarracone in Hispania iniit; atque ita agendum ei principi fuit, qui felicissimum sibi imperium, sicut post fuit sub illo, industria & curis apparare & confirmare sategit, vt quæ perculsa & prostrata ciuilis belli impetu iacebant, præsentia sua erigeret, & pacis fructus vbique gentium resuscitaret. Quid de Hadriano dicam,

dicam, cuius omne pæne imperium itineribus exactum fuit, dum orbem Romanum, vt Eutropius tradit, circumiuit, neque id bellorum causſa, qui pacem fere ſemper coluit; ſed vt prouinciis bene faceret, vbique ædificaret, praua in rectum, collapſa in integrum, turbata in tranquilliſſimum ſtatum reduceret? Hoc enim boni principis munus atque officium eſt, vt non, Perſarum more, raro ab hominibus viſus, in deliciis liqueſcat, ſed curam gerat reipublicæ & omnium prouinciarum, omnia oculis ſubiiciat, vt omnibus opem & ſalutem adferre poſſit. Non alius animus Conſtantinorum, & qui hos ſequuti ſunt, Chriſtianorum principum fuit, vt vel ſolæ leges Codicis commonſtrant, quæ non omnes Romæ aut Conſtantinopoli datæ ſunt, ſed multæ in Treueris, aliæ in Rhætis, quædam Durocortori Remorum, aliæ in Illyricis oris, Carnunti, Bregetione, Singiduni, Serdicæ, Naiſſi: vt de Bithyniæ Nicomedia & Nicea, de Syriæ Antiochia, aliisque pluribus locis taceam. Hos optimos Principes æmulatus ſereniſſimus noſter ELECTOR, ipſe prouincias ſuas obit, vt videat vbique locorum, quæ facies rerum ſit, quæ forma ciuitatum, ad confirmandas bonas, ad ceteras emendandas, vt omnium felicitas in maius & melius promoueatur. Saluberrima enim boni Principis veſtigia ſunt, quæ ſalutem & ſolatium, quaqua tranſitur, adferunt, viſendi, adloquendi copiam dant, ex quibus præſentiſſimum auxilium præſidiumque exſurgit. O felices igitur

Ac-

Aestios, Sciros, seu Borussos, apud quos tam benignum sidus tot menses commoratur! felices etiam Sicambros, qui superiore anno idem lumen intra fines suos habuerunt! Vterque populus gratulatur sibi, & copiosis fructibus tam salutaris præsentiæ lætatur.

Videor mihi intelligere, auditores, quid de me iam cogitetis. Aliena adferri in natali PRINCIPIS censetis, quibus huius diei neque excitetur, nec augeatur lætitia. Sed audite quæso, quorsum mea oratio contendat. Superiore anno precati omnes a Deo immortali sumus, vt serenissimi PATRIAE PATRIS salutem conseruet, felicitatem augeat, prouinciarum res fortunet & amplificet. Eius voti nunc compotes facti, non ignorare debemus, quod Christianis nec dubitandum est; hæc omnia Dei optimi maximique munus esse, eiusque numini ad gratias agendas deuinctos nos omnes & sanctissime obligatos. Lætantur illæ prouinciæ, quibus vestigia sua clementissimus PATER impressit: gratulantur, & perpetuam suam lætitiam fore in summis votorum habent. Qui plausus, quæ voces nunc audiuntur in Borussia? quantæ gratulationes in Sicambrorum terra? Num vero minora nostra bona sunt, quibus diuina nos benignitas cumulate auxit, & quidem eiusdem PRINCIPIS summi ac ELECTORIS felicitate? Neminem puto tam ingratum in hac corona esse, vt obliuioni dederit, quanto mirificus PRINCEPS, aut per

ipſum Deus, abhinc tres annos beneficio nos adfecerit. Glorientur Boruſſi diuturna commoratione: glorientur & Cliuenſes; nobis quidem breuiori tempore is adfuit, cuius lætantur illi præſentia: ſed beneficentior adfuit, quam ceteris cunctis prouinciis, quia ſuam heic Fridericianam dedicauit. Admiranda ſunt, quæ munificus alibi PRINCEPS ingentia opera ſtatuit: at noſtrum, quod in hac ciuitate condidit, eſt opus æternum, ac immortale, & quando cetera vetuſtas conſumſerit, hoc perennabit, & vires ac incrementum ab annis accipiet, ex illoque CONDITORIS gloriam poſteritas alet, atque ipſa æternitas conſeruabit. Omnia manu facta tandem concidunt & tempore deſtruuntur: hoc vero, quod poſuit, Academiæ monimentum AVCTORIS ſui gloriam cuſtodiet, augebit, & immortalem reddet, quia intra ſe ingenia alit, fouet, excolit, educit, quæ ſola memoriæ ſeruandæ inſtructa ſunt, & ad præſtandam nutritoribus ſuis immortalitatem. Ibit in ſæcula, fuiſſe ſummum PRINCIPEM, qui quam aliis locis potuiſſet, in hac prouincia, & in hac ciuitate Academiam (quantum decus & ornamentum!) condidiſſet, eamque de nomine ſuo appellaſſet FRIDERICIANAM. Quæ cogitanti venit mihi in mentem illius clauſulæ, qua Eumenius rhetor Conſtantino Maximo Flauienſium nomine gratiarum actionem finit. OMNIVM, inquit, SIS LICET DOMINVS VRBIVM: NOS TAMEN ETIAM

E NOMEN

NOMEN ACCEPIMVS TVVM. BIBRACTE ADHVC DICTA EST IVLIA, POLA, ET FLORENTIA: SED FLAVIA EST CIVITAS AEDVORVM. Augustodunum intelligit, celebrem ciuitatem Galliæ, quæ beneficiis a Flauio Constantino Magno ornata, hoc in maximis numerauit, quod ex illius nomine suum FLAVIAE nomen nouo liberalitate acceperit. Cur non potius eodem iure gloriamur? plures sunt Academiæ Brandenburgicæ ditionis, Regiomontana, Oderana, Duisburgensis: sed sola nostra est FRIDERICIANA, quod augustum & venerabile nomen magni CONDITORIS mirificæ erga hanc Academiam indulgentiæ argumentum est. Quanti ergo hunc diem faciemus, qui tantum nobis & Romano imperio PRINCIPEM dedit, idemque huic prouinciæ & ciuitati nouam Academiam dedit? Erubescant sane in hac vrbe degentes, si hunc diem non sacrum sanctum habent, aut aliter, quam piis votis ac gratulationibus traducunt, ingentis beneficii, quod acceperunt, immemores. Nos vero, ad quos id propius refertur, nunquam committemus, vt huius diei feriata memoria ex animo nostro elabatur: nunquam etiam id grata posteritas committet, quæ, quamdiu hanc Fridericianam colet, (colet autem, quod speramus, quamdiu litteras;) nec huius diei memoriam abiiciet, nec laudem CONDITORIS vnquam obliuiscetur.

Pre

Precati etiam superiori anno sumus, vt gloria Gentis Brandenburgicæ, qua potentia augetur & auctoritas confirmatur, seruata crescat ad maiorem humani generis vtilitatem. Etiam huius voti damnati omnes sumus, quum quæ hoc anno honoris caussa serenissimo ELECTORI præstita fuerunt, magna, eximia, & inusitata fuerunt, & post hominum memoriam nulli Germanorum Principi aut Electori contigerunt. Quum superiori auctumno in Cliuensi serenissimus Elector FRIDERICVS esset, potentissimus Rex magnæ Britanniæ GVILIELMVS ex Batauia ad ipsum venit Cliuiam, vt de summa republica coram colloquerentur. Hoc soli dedit Electori Brandenburgico, Principum Germaniæ cum potentia tum felicitate primo atque maximo. Sed ne id sanguini datum, aut societati bellorum, aut amicitiæ, existimetur; ecce nuper potentissimus Sarmatiæ vlterioris dominus, Russorum imperator, PETRVS ALEXIADES, qui in Asia æque ac Europa regnat, serenissimum nostrum ELECTOREM splendidissima primum legatione coluit, cui mox ipsemet interfuit, & se cognoscendum præbuit, & amicitiæ fœdus cum laudatissimo ELECTORE, glorioso PRINCIPE & nostro DOMINO, coniunxit. Cui vero Germaniæ Principi, præter nostrum, tantus antea honor, & quidem a Russorum summo PRINCIPE contigit, cuius gentis alias non obuia humanitas, rarus extra patriam excursus est. Nihilo-

minus magnitudo virtutum FRIDERICI III, potentiſſimi Electoris, in remotiſſima Europæ gente admirationem tantam concitauit, vt illam ſtatim viſendi, adeundi, adloquendi cupiditas conſequeretur, quæ MAGNVM PRINCIPEM eo induxit, vt non modo legatos mitteret ſatis honorifice ac quantum dignum tot terrarum domino, inſtructos: ſed nec ipſe ſibi temperauit (tanta exiſtimatio virtutis eſt) quin ad ſereniſſimum ELECTOREM excurreret, de cuius laudibus omnia ſumma iam pridem in Moſcouia præcognouerat. Tantum, Deo fortunante, acceſſit hoc anno, ex quo vota perſoluenda ſunt, ad gloriam potentiſſimi ELECTORIS Brandenburgici. Gratulamur illi, Deo gratias agimus, & vt pergat augere auctoritatem & ſplendorem ſereniſſimæ DOMVS ad vtilitatem humani generis, votis nuncupatis ſupplicamus, quo altero anno ad gloriam inſtar cumuli lætemur acceſſiſſe, quod nunc omnes optamus; cum aliis ſummis Principibus ac Rebuspublicis ſereniſſimum noſtrum ELECTOREM auctoritate ſua magnum pondus ad pacificationem, in Batauis nuper agitari cœptam, per illuſtres LEGATOS ſuos attuliſſe. Faxit Deus, vt glorioſum hoc argumentum ſit, quod reuolutis menſibus & redeunte natali die gratulabundi exerceamus. Quod nondum eſt, aut adhuc dubium ſpe præſumamus, Deo confiſi, cuius bonitate fiet, ſicut adhuc per ſingulos annos noua gratulandi materia fuit, vt nec, qui inſequetur

tur annus, in hac laudis & gratulationis parte sterilescat. Interea quod præcipuum huius diei munus est, vota soluemus gratiarum actione: noua faciemus, precando, supplicando, vt res sacra huius temporis rite, nec sine litatione, quod speramus, peragatur.

Benignissime Deus, quas tibi agemus, habebimus gratias, quod vota nostra, superioris anni Quinctilibus calendis susceptа, tam clementer audiuisti? Dedisti nobis, quæ rogauimus: dedisti plura, quam rogare ausi sumus. Salutem PRINCIPIS rogabamus; hunc saluum, incolumem, sed tuo beneficio & munere, habemus: felicitatem imperii precabamur; quam dedisti vberrimam, & addidisti maiorem gloriam, quam quisquam tum vel spe vel voto præcepisset. Nihil hoc anno imminutum fuit, nihil auditum tristius, quod animos turbaret, & gratulationibus moram iniiceret aut hæsitationem. Viget serenissima CONIVX, DOMINA nostra clementissima: floret serenissimus IVVENTVTIS PRINCEPS, quartum nunc Academiæ huius RECTOR MAGNIFICENTISSIMVS: floret princeps FILIA, valent celsissimi FRATRES, & quoquo versus respicimus, recte, atque ita vt vouimus, sese omnia nostra habent. Pacatæ sunt prouinciæ, agri nouam messem promittunt: nauigationes & commercia incrementum capiunt: quod sanctum, pium, vbique in ecclesiis docetur; quod iustum & æquum, in iudiciis stabilitur:

nec quidquam est humanæ societati necessarium, de quo Brandenburgicæ ditionis homines iure suo queri possint. Nostra quoque Academia inconcussa consistit, doctrinæ & virtutis maiorem in dies fructum fert, immunis etiam hunc annum, qui exiit, exemplis funestis atque tristibus. Hæc omnia, æterne PATER, tuum munus sunt: hi fructus nostratium precum sunt, quas tua bonitate vis efficaces esse; indignarum vtique, si ex nostro merito aut dignitate metiaris. Perge, o Deus, propitius tuis muneribus esse, & quæ dedisti, quæsumus conserua, & si salubria nobis & reipublicæ esse vides, eadem auge, & pro immensa beneficentia tua cumulum adde. Perge audire, quæ vouemus, quæ omnes precamur. PRINCIPIS salutem, felicitatem, tanquam summam votorum, tibi in posterum commendamus: celsissimam DOMVM & FAMILIAM commendamus: tranquillum & æquabilem cursum rerum omnium commendamus, & votis conceptis signamus, quæ vertente anno persolvemus, maioribus hostiis, quum iterum adnueris, sacrificaturi, hoc est, maiores tibi & solenniores acturi gratias. Audi Deus, da salutem, conserua felicitatem, tuere ecclesiam, confirma rempublicam, & Academiæ, o stator litterarum, incrementum adde & stabilitatem. TIBI vero, potentissime ELECTOR, omnes animo obsequentissimo gratulamur, TVA caussa lætamur omnes, etiam nostra & reipublicæ caussa lætamur, & exsultamus, postquam cælesti prouidentia quadragesimum

ſimum ætatis annum felici rerum curſu & inoffenſa valetudine expleuiſti. Addat Deus ætati tuæ annos totidem, eodemque curſu felicitatis fortunatos omnes eſſe iubeat, vt optimi ſtatus auctor rempublicam ſaluam ac ſoſpitem habeas, & poſteritati reliquas intemeratam. Nihil nunc audis, quam vota tuorum, quam preces tuorum, quibus Deus precor adnuat, & TVAM ſalutem, ex qua tot hominum ſalus pendet, in dies auctiorem firmatioremque efficiat, vt, quod ſemper nobis optandum eſt, lætiores vndique rerum tuarum ſucceſſus, etiam vltra vota noſtra, habeas, hoc eſt & plura & maiora bona, quam optare poſſumus aut animo noſtro comprehendere. Deus TE ſeruet, FAMILIAM ſeruet, rempublicam ſeruet, felicitatem perpetuam conſeruet. Vt vero TVAM propitio Deo; ſic noſtram & Academiæ ſalutem CLEMENTIAE TVAE commendamus, quia Deus tot ſummis Te bonis exornat, accumulat, vt cunctis, præſertim imperio TVO ſubiectis, benefacias, & de re publica, vt facis, bene magis atque magis merearis. Tenellæ conſeruationis noua Academia eſt, eoque benignius fouenda, & identidem refouenda, vt robur accipiat atque firmo ſtabilimento conſiſtat. TVO hæc ingenio, propitiis fatis, exorta eſt: TVA creuit voluntate, & creſcet amplius, Deo bene iuuante, nutu TVO, benignitate TVA. Hanc reſpice, clementiſſime D O M I N E, quia hæc Te reſpicit vt auctorem ſuum, vt ſeruatorem, & abs

TE exſpectat quæ ſibi, quæ poſteris, quæ ipſis literarum ſtudiis & conſeruandis & in maius illuſtriusque producendis vel idonea ſunt, vel etiam neceſſaria. Tandem officii noui ratio a me poſtulat, vt TE quoque, florentiſſime IVVENTVTIS PRINCEPS, RECTOR noſter MAGNIFICENTISSIME, clementia TVA fretus, adloquar. Indignus ſum, qui pro TE Academiam regam; TV regas eam ſumma auctoritate TVA: fulgentiſſimi nominis TVI ſplendore auguſtiorem celebrioremque facias: ego ſeruus tuus TVIS illam auſpiciis, TVO nomine adminiſtrabo, in id daturus operam, vt ex sereniſſimi PATRIS TVI, DOMINI noſtri clementiſſimi, TVAque voluntate, quæ, & ILLIVS, eſt eadem, apud nos gerantur omnia. Veniet proxime dies, quo & TIBI noſtris votis atque precibus, quod debemus omnes, officium faciemus. Interea Deus TE ſeruet, TVAM Fridericianam ſeruet, vt TV ad optimam quamque virtutem & MAIORVM gloriam adoleſcas; Academia TVA TECVM, vt annis, ita virtutibus ereſcat, ac laudem & famam ſuam, tam excelſo RECTORE dignam, ingeniorum fœtibus & morum iuuentutis honeſtate vbique gentium tueatur.

ORA-

ORATIO V.

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FRIDERICO III.

MARCHIONI BRANDENBVRGICO, SACRI ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO, CETERA.

DE NATALI XLII

IPSIS CALEND. IVL. clↃIↃcxcviii FELICISSIMO SIDERE REDVCTO, Habita.

QVod ſuperiore anno precati a Deo immortali ſumus, eo tempore quum pax ambigua eſſet Germaniæ & maioris pæne Europæ partis; ac omnes votis nos obſtrinximus, ſi cæleſtis prouidentia ſereniſſimum ELECTOREM ac DOMINVM noſtrum, eiusque celſiſſimam DOMVM, confirmata valetudine ac æquabili curſu rerum ſine fortunæ offenſione conſeruauerit, reddideritque quie-

tem & otium patriæ; nostri muneris ex sanctissima sponsione fore, vt maioribus victimis, qui hodie illuxit, natali die diuina sacra procuremus, & maiores, quam vnquam, DEO SERVATORI gratias agamus, pluribusque & lætioribus gratulationibus hunc diem calendarum prosequamur: eius deuotionis nos esse conuictos iudicio omnium bonorum, congratulatione Germaniæ, & Brandenburgicorum prouincialium concordissimo testimonio, maxime nunc lætamur, AVDITORES. Huius enim diei, religiosissime colendi, quam multæ nos circumstant & vrgent momenti maximi rationes? Hæc lux abhinc vno & quadraginta annis, serenissimo PATRIAE PATRI, adnuente propitio cælo, viuendi primordia feliciter dedit: hæc FRIDERICIANAM ACADEMIAM inaugurauit: hæc toties eidem serenissimum PRINCIPEM iuuentutis RECTOREM MAGNIFICENTISSIMVM præfecit, & indulgentissimo maximi PARENTIS nutu ac voluntate præficit nunc denuo: & hæc est, quæ officium, nuper Aprili extremo nulla negligentia prætermissum, sed, vt calendæ Iuliæ augustiores forent, de industria reseruatum, DECENNALIA videlicet VOTA, singulari pietate atque lætitia pro felicissimo imperii Brandenburgici per annos totidem decursu, persoluenda, in memoriam reuocat: hæc eadem nos etiam admonet, vt in futurum tempus noua vota concipiamus, VICENNALIA prorogandi eiusdem imperii, & QVINQVENNALIA

Aca-

Academiæ huius Fridericianæ. Patentissimus campus, quem ingredior: largissima & spatiosissima messis, quæ vni mihi demetenda obiicitur. Diffusa scilicet res est, neque facile in summam colligenda, vt cohæreant partes, nec forte quædam illarum inter dicendum prætermittantur. Tentabo tamen colligere, & quamuis non omnia animo possim comprehendere; non puto tamen præcipuarum aliquam partium præteriri, si ita operam distribuerimus, vt Deo, tot bonorum auctori, immortales gratias agamus, cuius æternæ benignitati debemus omnia, quæ huius diei & adferunt nobis lætitiam, & eandem mirifice adaugent; deinde PRINCIPI optimo, cuius natalis iam dies agitur, & primum imperii decennium feliciter exactum est, omnes deuotissime gratulemur, & futuræ felicitatis certatim noua vota suscipiamus: præterea iuuentutis PRINCIPI, RECTORI quintum MAGNIFICENTISSIMO, bene precemur, & ex prioribus annis, quibus præfuit rei litterariæ, faustissimum omen futuri temporis, æquali felicitate vel maiori, si quid addi possit, transigendi, capiamus: etiam Academiæ salutẽ DEO & PRINCIPIBVS quam diligentissime quam subiectissime commendemus. Hæc summa sunt capita, de quibus verba mihi facienda video, quæ faciam non vt debeo in tam multiplici solemnitate, sed vt possum; angustia temporis, vt videtis, AVDITORES, præclusus: quod vtique maius ampliusque spatium maiestas rerum, de quibus agendum

in

in præſentia eſt, depoſcit. Dicendum enim eſt de maximi PRINCIPIS virtute & felicitate, quas non facile quis ingenio complecti poteſt, ne dum oratione rebus digna illuſtrare. Neque vero, quod officii ratio imponit, ſubire recuſabo, ILLIVS incredibili clementia fretus, cuius perpetuitati gloriæ gratulatio hæc inſtituta eſt, quem ita mirifice bonum & benignum experti ſumus, vt non tam ambitionem verborum, quam ſimplicitatem deuotiſſimi adfectus clementiſſime reſpiciat. Quem etiam leuem hanc noſtram operam, at ſubiectiſſimæ pietatis teſtem, ſereniſſimo vultu accepturum eſſe, magna ſpe atque fiducia præſumo. Vos vero, illuſtriſſimi, nobiliſſimi, ſpectatisſimique AVDITORES, fauete linguis, attendite animo, & quas preces ac formulas vobis ſolemnes præibo, eas ſequimini, quæſo, deuota cogitatione, quo & ego voce, & vos adfectu, tum ſoluamus, quibus obſtricti ſumus, priora vota, tum noua pro futuris temporibus in poſterum concipiamus. Sic vtrique faciemus quod officii noſtri eſt, & quod tam DEO optimo maximo, quam ſereniſſimo ELECTORI in lætiſſimo hoc natali die omnes Brandenburgicæ felicitatis participes debemus. Si felices iudicantur, qui bona ſua intelligunt, & ad auctorem, vnde ſunt profecta, pio gratoque animo referunt; næ multum ad felicitatem noſtram conferemus, ſi hoc die, vt decet, quæ poſſidemus bona, & quæ ſperamus, non tam ſecreta æſtimatione, quam laudatione publica penſitabimus. Id

quod

quod non poteſt fieri, quin omnia ad Deum referendo, vt debemus referre, ad sereniſſimi etiam ELECTORIS felicitatem, quæ huius diei meditamentum eſt, æſtimandam laudandamque veniamus, quia is ipſe eſt, per quem tot bona Deus, quibus publice lætamur, in Brandenburgicas gentes contulit. Maxima vtique bona ſunt, quæ nos, AVDITORES, circumfluunt; neque vnquam a Deo precari publice ſumus, quin maiora impetraremus, quam votis noſtris definitum fuerat. Quod maius exiſtimari bonum poteſt, quam BONVM habere PRINCIPEM, hoc eſt pium, fortem, beneficum, & ex æquo bonoque omnia ſua metientem? quæ maior felicitas mortalibus contingere poteſt, quam tranquillus pacatusque ſtatus reipublicæ? qui fons eſt exundantior felicitatis, quam ſi quam plurimi cultura animorum ad virtutem & optimas quasque diſciplinas ac ſcientias adducuntur? Num vero in hiſce quidquam eſt, quod aliquis noſtrum deſiderare poſſit? PRINCIPEM habemus, quo nec votis meliorem effingere poſſimus: ex cuius bonitate cetera fluunt, quæ Deus in nos bona deriuari voluit. Pax & tranquillitas reipublicæ cum flore artium liberalium eiusmodi fructus ſunt, quos, poſt Deum, ſupremum bonorum auctorem, OPTIMO PRINCIPI, ſereniſſimo ELECTORI & DOMINO clementiſſimo debemus. Cuius ſummas virtutes neque ingenium comprehendere, neque vox noſtra enarrare poteſt: ſed, vt alio tem-

tempore necessitas adegit vt faceremus; ita hoc quoque natali die per ipsius bonitatem nobis facere, precamur, liceat, vt delibemus tantummodo virtutes aliquas, ex quibus de ceteris, quod omnes coniunctissimæ & indiuulsæ in EO sunt, ab vnoquoque iudicari possit. Bellicosum Principem etiam summe PACIFICVM esse quis non miretur? tot immanibus in bella, in itinera, legationes longinquas, in ædificationes factis sumtibus, & assidue faciendis, quis credat, pro sæculi more, munificentiæ in bonas litteras & litterarum cultores aliquid loci superesse? sed superest omnino capacissimus, perinde ac pacis studium bellandi fortitudine haudquaquam impeditur. Hæ ergo sunt summæ illæ virtutes, quas in præsenti admirabimur, pacis studium inter arma, & inter maximas & incredibiles impensas maior, quam vsquam reperitur, in litterarum studia liberalitas. Superiore natali die in votis habebamus, vt vertente anno pax Europæ reddita, quæ tum maxime controuersa erat, singulare & lætabile dicendi argumentum præberet. Adnuit voto Deus, & consiliis Principum ac Rerumpublicarum eam post multas contentiones concordiam inesse iussit, vt optatissima pax, quod omnes lætamur, conueniret, in qua quantæ partes potentissimi ELECTORIS Brandenburgici fuerint, & quod momentum ad rem decore ac iuste conficiendam per splendidissimos LEGATOS attulerit, omnes qui vel mediocrem notitiam pacificationis habent, magnis

laudi-

laudibus & vnanimi consensu confitentur. Esse non ignoro, qui huic paci nescio quid obiiciant, nec firmam stabilemque fore ex signis non nullis, sibi persuadeant. quod aliter precamur eueniat, quam illi timidule videntur præsignificare. Sed quoquo res modo habet, quod nostrum non est iudicare; fecit noster pacificus FRIDERICVS, quod suum erat, nec quidquam intermisit quod ad iustam & decoram pacem, eamque stabilem ac diuturnam conferret. Pax armis paranda: eadem & armis conseruanda est, quia qui armis destituti sunt, sæpe luduntur a potentioribus. Nam arma armis cohibentur, & ne partam pacem arma denuo conturbent, armis ostentatis, ab finibus sunt reprimenda. Heic etiam abunde est, Deo adhuc iuuante, in quo se Brandenburgensis felicitas efferat, quum potentissimus ELECTOR FRIDERICVS III neque maximis Regibus potentia armorum cedat, sed regiones atque prouincias, a MAIORIBVS suis acceptas, diuina ope, qua munita ILLIVS virtus est, per se tueri, & in pacatissimo statu conseruare valeat. Fama aiunt bella stare, ac pacem auctoritate. At fama & gloria Brandenburgica non iisdem finibus, quamlibet amplis, quibus Europa, continetur. In Africa sedem fixit: ad Americæ littora penetrauit, vbique tropæa & virtutis monimenta constituit. Quod vernante anno serenissimus ELECTOR in Borussiam iterum profectus est pacis caussa, quod nemo dubitat, profectus est. Cui enim ignotæ sunt Poloniarum turbæ, per annum &

am-

amplius non ſine viciniarum periculo acerrime agitatæ? Polonia autem pacata, tranquillitas Europæ conſiſtet: hac autem adflicta, & præualente quadam, quod abominamur, factione, ſcitis ipſi, auditores, quam fragilis tum quies ſit Germaniæ futura: quam vicinum malum regionibus Brandenburgicis. Maxime autem propinquiore acceſſu ELECTOR BRANDENBVRGICVS perfecit, vt nunc tranquillior ſtatus Poloniæ ſit, & ſpes appareat maioris in poſterum ſecuritatis. Superiore anno ſingulare & rariſſimum argumentum SVMMI MOSCOVORVM PRINCIPIS in Boruſſiam aduentus, & cum ſereniſſimo ELECTORE amica conuerſatio dedit: iam vero cum potentiſſimo POLONORVM REGE colloquium quam ſalubre putatis vtrique reipublicæ futurum? quis dubitat, de ſumma rerum, de pace tuenda firmandaque pactum eſſe? Faxit Deus, vt conuentus illius vberrimos fructus, eosque diuturniores propediem videamus, vt quantus PACATOR FRIDERICVS III ſit, per Sarmatiam non minus eluceat, quam dudum eluxit in Batauis, in Germanis, & aliis Europæis gentibus. Magnum eſt, ſtare in limite diſcordis populi, & præſentia atque auctoritate perficere, vt, diſſidiis ſublatis, concordia colatur, & REGI non amplius a ſuis negetur obſequium. O pacificum ELECTOREM BRANDENBVRGICVM, ſed non minus MVNIFICVM eundem! Magnorum Principum eſſe propriam munificentiam,

tiam, quis ignorat? at plerumque inde exiguum ad rempublicam commodum redundat. Si quid bene insumtum iudicio vulgi laudatur, in bella, in ludos, in pompam, in immodicas substructionum moles magna vis pecuniæ profusa fertur: studiorum liberalium, vnde virtus est & sapientia, vel nulla, vel rara admodum habetur ratio. Nostri autem ELECTORIS munificentia tam late patet, vt non solum quidquid ad vsum reipublicæ cum pacis tum belli temporibus; vel ad splendorem magno PRINCIPE dignum attinet, abundantissime largiatur; verum cum primis etiam litterarum studiis liberalitate sua adesse adsuetus, quos cumulos augendis illis, aut in illustrius proferendis, adhuc adiecit? Non dicam de Academia, inter immensos bellorum sumtus impensis maximis fundata, nec minoribus (nostis omnes) dedicata: vel solus annus, qui heri exiit, quot & quantas impensarum principalium accessiones vidit? Salariis quæ deerant, liberalissimus ELECTOR suppleuit: bibliothecæ condendæ ex sua libros, eosque pretiosos misit; augendæ annuum addidit stipendium: locandæ & constituendæ magno sumtu ædem coemit; vt vndiqueuersum incredibilem suam in bonas litteras propensionem & beneficentiam non ambitiose, sed in exemplum illustre, non ad intuendum modo, verum etiam ad imitandum præ se ferret. Et hæc summi PRINCIPIS munificentia publica. Priuatis autem, qui litteras colunt, quam mirabiliter benignus est?

quam clementiſſime indulgens? quantis præmiis adficit, ornat, & ad maiorem inſtigat induſtriam? Prædicant hoc Germani, dilaudant Angli atque Bataui, neque Galli conticeſcunt de ſumma EIVS in humaniores litteras beneficentia & bonitate: & ſi omnes ſilerent, nec tamen pietas me ſilere patietur, vt magna voce potius apud omnes laudare iubeat, quantis muneribus induſtria medioeris mea ornata nunc nuper fuerit. In quibus quum IMAGINEM, quam præferunt, intueor, AVGVSTVM Cæſarem, ingenia refouentem, videre mihi videor; & Titum VESPASIANVM ex publico proſpicientem profeſſoribus; aut etiam TRAIANVM, liberalitate ſua merentem cognomen OPTIMI. Tam mirificum, tam incomparabilem PRINCIPEM habemus, & habuimus per decem annos, republica ſalua & incolumi. Quod magnum eſt vtique. ſed maius omnino illud eſt, quod in ſingulos annos eius temporis, quod dixi, reſpublica in maius & melius prouidentia & bonitate PRINCIPIS producta fuit. Quot enim victorias hoc decennio numeramus? quot vidimus incrementa ciuitatium? quot ſplendidas ædificationes admiramur? quæ AVCTORI omnia egregiam laudem adferunt: ſed maiorem CONDITORI ſuo Fridericiana. Hæc monimentum eſt quod ære durat perennius; hæc æternitatem FVNDATORI dabit. Cuius cetera opera comparata ita ſunt, vt vetuſtate aliquando conſumantur: at gloria

Aca-

Academiæ inſtauratæ ab annis vires ſuas adquiret, & quo vetuſtior fuerit, eo maiori pulchritudine, quaſi ſemper renouata exſplendeſcet. Quatuor iam annos illa, Deo adnuente, floruit, accreuit: quinto exacto, QVINQVENNALIA more priſco celebrabit, quorum nunc vota ſuſcipienda ſunt, vt, anno feliciter circumacto, qua debetur, pietate, religione ac lætitia reddantur. Neque VICENNALIVM votorum obliuiſcemur, auditores. Decennio enim proſperrime, vt omnes conuicti fatemur, per ſuum circulum cæleſti benignitate reuoluto; quid reſtat communis officii ac pietatis, niſi vt nouum decennium æquabili felicitatis curſu transmittendum, a Deo immortali exſpectemus? precibus noſtris tanti temporis proceſſum indulſit ſalutarem: precibus idem dabit, ſi iuſtæ fuerint, futuræ proſperitatis ſucceſſum. Tanto autem iuſtiores erunt, quanto maiori pietate priora beneficia æſtimauerimus, vt eorum cauſſa maiores Deo gratias habeamus. Patrum memoria effoſſus Romæ lapis quadratus fuit, cuius lateribus vndique ritus ſacrificantium cum alatis Victoriis inſculptus eſt; primo autem lateri, quod duas Victorias tenet, ſcutum rotundum eleuantes, hæc inſcriptio eſt ſuperaddita,

CAESARVM DECENNALIA
FELICITER.

Cur non marmoribus etiam vbique, & hiſce Fridericiani auditorii parietibus inſcribemus

FRIDERICI III DECENNALIA FELICITER.

Faueat diuina clementia, vt poſſimus etiam VICENNALIA & TRICENNALIA, & vlteriora vota non ſolum nuncupare ſolemniter, ſed feliciter etiam, compotes aliquando facti, reddere. Maiores noſtri quum ſpes longas prorogabant, dixerunt ΘΕΟΥ ΕΝ ΓΟΥΝΑΣΙ ΚΕΙΣΘΑΙ, hoc eſt, IN DEI GENVBVS POSITVM ESSE. Simulacris enim deorum ſuſcepta vota, & litteris conſignata, ad genua adfigebant, quæ non prius reſoluebantur, quam impetratis iis, quæ vouendo precati fuerant. Abſit pagana ſuperſtitio. Non genubus ſimulacri alicuius, ſed memoriæ diuinæ & æternæ curæ ac prouidentiæ infigemus, quæ vota pro ſalute PRINCIPIS & DOMVS BRANDENBVRGICAE natali hoc auſpicatiſſimo faciemus. Romanum marmor coronatos tauros, ſacerdotem Gabino veſtitu, mactatores cum ſuis malleis oſtendit, & vnum caniſtros cum fructibus ſuſtollentem, & plures alios ritus, quibus pagani homines in ſacris ſuis vtebantur. Miſſis quæ ſunt impia, quæ profana potius, quam ſacra, ſunt cenſenda; Chriſtiano ritu noſtra vota faciemus, noſtra ſacra peragemus, non taurum, non porcam adducentes, ſed gratias agentes Deo Seruatori, & futuræ felicitatis vota puris precibus, & pio adfectu concipientes. Præibo ego: vos ſequimini fauen-


fauentes lingua, & deuota mente versate, perpendite, quæ ad huius diei officium rite procurandum pertinebunt. Tu ergo, æterne Deus, audi quæso, quæ hoc die te precamur, quibus te vocibus ex animo omnes sincero laudamus. FRIDERICVM tuum, quem populo tuo rectorem dedisti, per decem annos incolumem, felicem conseruasti. Tuum id munus est: tua hæc clementia: propterea tibi laudes debemus, tibi agimus habebimusque gratias. Suscipe, quæsumus, eundem Principem, & defende ac tuere; eidem robur & felicitatem adde: sapientiam datam auge, & numine tuo in omnibus curis consiliisque rege, vt tuis auspiciis, ipsius ductu, tuis sacris operari, &, quod vnicuique iniunxisti, officium facere tranquillo ac beato statu reipublicæ possimus. Adde vitæ ipsius diuturniorem moram, adde imperio constantem felicitatem, vt redeunte hoc natali, aut, si tantum licet mortalibus a te petere, decennio alio exacto, maiores tibi maioresque gratias agamus. Anno, cuius vota soluimus, pacem Europæ reddidisti. Pacem, precamur, redditam confirma: firmatam in posteros quiete diuturna conserua, & in dies stabiliorem diuturnioremque effice, vt, te pacis auctore, sub PACIFICO PRINCIPE, quod tuum est, curemus; sub eodem pie, pacate, tranquille vitam, quæ restat, transigamus. Serenissimam CONIVGEM, Paterno funere nondum releuatam, solatio tuo refocilla, vt fato tuo sese præbeat, & MARITI feli-

citate, quam dedisti, adquiescat. Et quoniam nutu tuo, quem ex felici successu intelligimus, clarissime ostendisti, Academiam hanc saluis auspiciis tuis ante hos quatuor annos conditam, tibique, DEVS, & honori tuo dedicatam fuisse, eandem, vt adhuc fecisti, quod grata mente omnes prædicamus; inposterum quoque sanctissimo numine tuo rege, tuo robore confirma, tuere, conserua, vt quæ tuæ sunt voluntatis, quæ ecclesiæ tuæ ac reipublicæ salubria, heic vnice doceamus, discamus, faciamus, quo iuuentus academica, quæ heic honori tuo fingitur atque formatur, quotidie maiorem in virtute, in honestis moribus, in optima quaque scientia progressum faciat, & tuis sanctissimis legibus promtissime obsequatur. RECTOREM huius Academiæ nostræ, Principem iuuentutis, PARENTVM & nostræ omnium lætitiæ diuinitus conserua, vt sub flore EIVS etiam Academia floreat, &, IPSO per annos crescente, hæc quoque in singulos annos incrementum capiat, & suo PRINCIPE atque RECTORE, eiusque in litteris & artibus profectu, indeque nato amore atque præsidio litterarum, maximopere lætetur. Serua, tuere FILIAM, FRATRES Electoris, omnes clementia tua munitos, ornatos conserua: serua vniuersam DOMVM BRANDENBVRGICAM, & muneribus tuis, quibus auxisti illam & cumulasti, quod nihil restat addendum, adde, quæsumus, præsentis felicitatis perpetuitatem. Audi Deus has preces nostras, audi

vota,

vota, quæ tibi facimus atque signamus, tuæque adfigimus memoriæ, vt recurrente natali, vt decennio alio peracto, quod bonitatis tuæ fiducia speratur; resoluamus tandem quæ fiximus, reddamus quæ vouimus, & æternis laudibus æternas tibi gratias agamus. TIBI vero, indulgentissime PATRIAE PATER, ex animo subiectissime deuoto gratulamur, quod annum ætatis denuo, quod decem imperii annos feliciter; feliciter, inquimus & lætabundi repetimus, FELICITER transegisti. O nimium dilecte Deo tuo PRINCEPS, qui inter tot casus mundi, inter sæuissima bella, inter pericula mortalitatis saluus euasisti, salua existente tua republica. Deo Tecum gratias egimus, agemusque nunquam desituras: vota, olim suscepta, persoluimus, & noua pro salute TVA in posterum soluenda, nuncupamus, quibus, scimus fore, vt non minus Deus adnuat, quam superiora clementissime audiuit. Suffice, PRINCEPS, felicitati tuæ, & bonis, quæ cælo debes ac virtuti tuæ, perpetuo lætare. Sis felix in pace: sis fortis in bellis: sis iustus in iudiciis: sis benignus pauperibus, sis clemens, & indulgens pater omnibus. Quid multa? sis semper idem, qui fuisti, qui nunc es, quia melior & felicior esse non potes. Nihil addo, quam vt subiectissime TE publica voce rogem, quo Academiæ quoque TVAE, vt solitus es, propitius esse perseueres, eamque augeas, ornes, defendas, quæ, quod filia TVA est, omnia, quæ

habet, fert accepta TIBI: omnia quæ desiderat sibi necessaria, a TVA benignitate, vt filia a PATRE, exspectat.



ORATIO VI.

FRIDERICO III MARCHIONI BRANDENBVRGICO, SACRI ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO, CETERA.

DE NATALI XLIII FAVSTIS SIDERIBVS CALEND. IVLIIS cIↄ Iↄ cxcix. EXORTO, Dicta.

NOn fefellit exspectationem nostram lætissimus euentus, & quæ votis, precibus superiore anno optabamus, Dei immortalis munere atque benignitate videmus omnia nobis data, præstita, & maiora data quam expetebamus. Summa votorum fuit SALVS

SALVS PRINCIPIS, a qua noſtra pendet; & æquabilis curſus tranquillitasque reipublicæ. Vtriusque voti, quod lætamur, damnati cæleſti bonitate ſumus, dum illuxit hodie, quem exoptauimus, ſereniſſimi potentiſſimique Principis ac Electoris, FRIDERICI III, DOMINI noſtri clementiſſimi, PATRIAE PATRIS indulgentiſſimi, quadrageſimus tertius natalis, incolumi vniuerſa DOMO ELECTORALI, florente republica, pacatis prouinciis, & vnoquoque noſtrum lætante ac gratulante, quod ſaluo PRINCIPE ſalui & ipſi hanc lucem & incolumes adſpiciamus. Si Academiam hanc Fridericianam, ſi florentiſſimam coronam nobiliſſimæ iuuentutis, quæ adſidet, quæ circumſtat, intuemur, admiranda omnino eſt æterna prouidentia, qua opus tam nouum, tot æmulationibus circumdatum, non modo intrepidum & inconcuſſum ſtetit, ſed ita etiam vndique aduentantium frequentia creuit, vt quanto ſuperioris anni numerus maior fuerat quam antecedentium; in tantum hic proximus annus exſuperet & antecellat ſuperiorem. Tanta felicitatis vtriusque documenta niſi cælo imputaremus, ingratiſſimi eſſemus mortalium, neque digni, vt vel anno beneficia ſua cæleſte NVMEN nobis proroget. Id quod illud proprium argumentum eſt, in quo noſtra iam excurrat oratio, vt tam Deo gratias agamus, tot munerum, quæ recenſuimus, liberaliſſimo auctori; quam ſereniſſimo PRINCIPI noſtro & DOMINO in-

indulgentiſſimo gratulemur de infinitis bonis, quæ felicitati EIVS diuina clementia nunc denuo adiecit: Deumque precemur, vt propitius ſit muneribus ſuis, iisque addat, quam vnice optamus, felicis curſus perpetuitatem. Equidem ſcio gaudentium ſtudia per prouincias nunc paſſim peruolare, & innumeris vocibus ſonora gratulationes ad cælum vſque efferre: Fridericiana autem, vt propria ſibi, eaque admiranda beneficia, hoc die collata meminit; ita non officio vulgari, quod clamore atque ſonitu finiatur contenta, maiore pietate atque ſtudio hunc diem ita tranſigendum cenſet, vt ad fontem felicitatis, æterni Numinis clementiam, omnia accepta referat, & votorum ſolutione, nuncupationeque nouorum, a Deo impetret, vt eadem, quæ adhuc accepimus, in poſterum quoque prorogentur, & quia modum non præfinimus beneficentiæ eius, ſi vtile viderit noſtris rebus fore, augeat vetera quæ dedit, & cumulum nouum addat futuræ proſperitati. Priſci Romani, cordatisſimi mortales, & principum ſuorum, & magnarum vrbium natales ſingulari religione coluerunt, annale munus offerentes Genio, & nihil facientes, dicentes nihil, niſi quod fauſti bonique ominis eſſet, & auſpicium futuræ felicitatis haberet. Imitamur in antiquo ritu quod bonum eſt: nec vero vel PRINCIPIS, vel Academiæ, quaſi litteratæ ciuitatis, Genio, ſed Deo Geniorum conditori, & vtriusque, cuius natalem celebramus, ſeruatori, annale munus laudis & gratia-

rum

rum actionis, conceptis votis superiori anno promissum, pie deuoteque exsoluemus, & bona verba, vt veteri voce vtar, dicemus gratulando, precandoque Deum, vt optimum nostrum PRINCIPEM, ELECTOREM BRANDENBVRGICVM, & DOMINVM nostrum, & serenissimam Eiusdem DOMVM ac FAMILIAM, ac patriam & rempublicam, & nostram quoque Academiam conseruet, tueatur, & felicitatem, quam dedit, confirmet atque augeat, quo futuris quoque annis, hoc natali die redeunte, ad maiores maioresque gratias, diuinæ benignitati agendas, deuinctos nos magis atque magis sentiamus. Hoc nostrum hoc die est officium, in campo hoc mea decurrat oratio, Auditores; in hoc & vestra se agitet meditatio, vt vtrique conueniamus lætitiæ ac pietatis sensu, & dicamus, cogitemus quod dignum hoc die, Deoque gratum, & serenissimo ELECTORI honorificum, nobisque omnibus fructiferum atque salubre, nec non famæ & incremento huius Academiæ accommodatum. Hoc certatim, Auditores, nunc agamus, ego dicendo bona verba, vos, subsequentes pia cogitatione, atque animo linguaque mihi & solemnitati huic fauentes.

Quod in exercitu numeroso videmus, plus momenti in duce, quam in copiis vniuersis, esse positum; idem in republica ita fieri censeamus. De Epaminonda tradunt annalium conditores, pluris illum vnum fuisse, quam omnem ciuitatem

The-

Thebanorum, quæ caput fuerit Græciæ, quamdiu suæ ille præfuit reipublicæ; contra ea, & ante illum natum, & post illius interitum, nullam memorabilem Thebarum fuisse felicitatem. Creditisne, Auditores splendidissimi, quod patria nostra, quod ecclesia & respublica, quod hæc ipsa Academia, feliciter agat, quod pace, otio, & tranquillitate fruatur, quod præsidium sit in iustitia & æquitate? hoc, inquam, creditis aliunde nobis obtingere, quam quod diuina prouidentia MODERATOREM reipublicæ, & rerum agendarum DVCEM saluum, incolumem, felicem habemus? Eius salus est, vt salua sit respublica: Eius cura, vt nihil cuiquam desit: Eius auctoritas atque maiestas, vt omnia sint tuta & pacata. Si caput saluum, bene est membris omnibus: sin dolet hoc, necesse est & illa condolere. Superiore anno de pace publica, Europæ restituta, cui conciliandæ etiã pondus potentissimus ELECTOR noster per Legatos, illustres viros, addiderat, gratulati sumus: nunc est, quod de eadem pace gratulemur conseruata, quæ lubrica initio, & instabilis videbatur: sic tamen adhuc firma stetit, vt perstituram etiam in posterum non desperemus. Fuit nuper in Borussia, quod turbare illam posse videbatur: sed quæ diuina æquitas est & prouidentia, sine tumultu, sine periculo, aut incommodo vllius, prætermissum fuit. Quod vrbs incluta, nemine impediente, in ditionem est redacta, ELECTORIS fuit felicitas: quod tuto possideatur, Eiusdem summa in pace & bello maie-

maieſtas eſt ac potentia, quæ in poſterum etiam, Deo bene iuuante, perficiet, vt tranquilla compoſitione, quæ iuſtitiæ legibus innixa eſt, cauſſa Elbingenſis finiatur. Pacem itaque quum, DEO auctore, a PRINCIPE pacifico, clementiſſimo noſtro DOMINO, habeamus, pacis etiam fructus, qui magni ſunt & vberes, vt acceptos eidem referamus, officii eſt ac pietatis, quæ omnia accepta ad curam & meritum illius, a quo in nos profecta ſunt, ſuo quemque modo referre poſtulat. nam quod ſolum fortuna eminens accipere poteſt, æſtimando, prædicando referamus: refundere quæ dedit, & quaſi vicem rependere, neque fors humilis noſtra concedit, neque magnitudo illius & felicitas deſiderat. Dulce nomen pacis eſt, & res p. 119. ipſa ſalutaris, & tanta vbertas fructuum ex ea, vt ne omnes quidem poſſim recenſere. Si enim pacem ſecuritatis matrem, ſi publici boni radicem, ſi commodorum ſeminarium, ſi ſegetem opulentiæ, ſi denique omnium nutricem nominauero, num putabitis a vero me aberrare? Ex pace certa ſpes ſalutis, quietis, tranquillitatis omnibus refulget, vt nec plus ſperari potuerit, nec ſpei reſponderi felicius. Tantum bonum ſereniſſimus noſter ELECTOR nobis præſtat & tuetur, vt quæ ex illo emanant commoda, omnino eidem debeamus. Ad ſingula quædam, non ad omnia recenſenda (nec tempus patitur arcte circumſcriptum) Deo duce adgrediemur.

Diu-

Diuturnitas pacis, qua fruimur, vim legibus conseruat, quæ silent inter arma: auctoritatem iudiciis confirmat, vt omnia iuste & ex æquo administrentur. O quam bene cum illis agitur, quibus certa per leges est possessio! vita tuta ab insidiis! fama secura aduersum calumnias! quia hæc demum tranquillitas est vitæ, si omnia, quæ nostra sunt, præsidio legum sunt munita, sunt tuta ab iniuriis priuatis, sunt etiam ab iniustis exactionibus. Florent commercia terra marique & per flumina: quibus omnium rerum copia confertur, paratur abundantia, vt nihil desit, quod ad commode viuendum est necessarium. Dat pax cultum agris, & ex cultus sedulitate prouentum; dat eadem sacris honorem; dat etiam, quod proprium nostri muneris est, litterarum studiis securitatem, quæ pace fouentur, pace aluntur, & in maius pace prouehuntur. nam strepitu armorum circumsonante, & vi Martis vastante agros, euertente vrbes, quid aliud litteris superest quam tristis fuga & exilium? si modo sit locus aliquis bello vacuus, quo tuto possint confugere. In bello quidem nata est hæc Fridericiana, quod mirum videbatur: sed bello longinquo & partim externo; pacatis prouinciis Brandenburgicis: pace autem nunc illa conseruatur, & quod floret, quod accrescit, & quisque in ea suum accipit, id omne ex fructibus pacis est. Ex quo manifestum fit, qui Academiam tanto sumptu prouinciæ erigere atque animare statuit, id etiam præcipue prouidisse,

quo

quo ſtabile ſit opus ſuum, ac nutrimentis ſuis diuturnum ac perpetuum; id quod prouinciarum pace præſtandum, confirmandumque eſt, ſine qua concuti facile poſſit aut aliquid detrimenti capere. Pacem ergo PRINCEPS pacificus vbique in prouinciis ſuis excitat, atque enutrit, & vt illa ſit ſtabilior, armorum terrore confirmat, & id curis ac conſiliis agit, vt cunctis ditionis ſuæ regionibus; & huic etiam Fridericianæ ſuæ pax & tranquillitas, quæ adiumenta ſtudiorum ſunt, conſeruentur. Hæc enim coniuncta debent eſſe, etiam Fuluii Nobilioris exemplo, qui Aedem Herculis Muſarum in circo Flaminio exſtruxit, non id modo ſequutus, quod ipſe litteris, & ſummi poetæ, Q. Ennii, amicitia duceretur, ſed quod mutuis opibus & præmiis iuuari ornarique deberent Muſarum quies defenſione Herculis, ac virtus Herculis & voce & litteris Muſarum. Eſſe nobis & ſtudiis noſtris ELECTOREM potentiſſimum, inſtar Herculis, fortiſſimum defenſorem, grata mente agnoſcimus & gratulabunda voce prædicamus, & ex illius præſidio futuram quoque ſperamus tranquillitatem. Nec vero quod noſtri muneris eſt, eiuſdem Fuluii iudicio, nos vnquam obliuiſcemur, vt VIRTVTEM HERCVLIS NOSTRI VOCE MVSARVM ORNEMVS; ſed dies noctesque id agimus, agemusque perpetuo, vt voce, & magis litteris, quæ voce perenniores ſunt, tanti PRINCIPIS & CONDITORIS Academiæ incredibilis virtus, & mirificus

erga

erga ſtudia litterarum fauor & beneficentia, æternis laudibus in poſteris etiam celebretur, quia is dignisſimus eſt, cuius gloriam & decus omnes litterarum cultores, nos maxime quos beneficiis cumulauit, perpetuo colamus, vt ex ingeniis, quæ ipſe ornauit, etiam fructum capiat, nunquam interiturum. Ibit in ſæcula, fuiſſe Principem inter Brandenburgicos Electores FRIDERICVM III, qui tanta cura & amore in rem litterariam exſtiterit, vt poſt tres Academias, quas in prouinciis ſuis habuerit a MAIORIBVS conſtitutas, ipſe quartam, de ſuo nomine appellatam, alieno quamlibet tempore, inter armorum ſtrepitus & tumultus, tamquam in altiſſimo otio condiderit, conditam ornarit mirifice, & illuſtrato ſtudiorum honore conſequutus ſit, vt STATOR litterarum fugientium ex meritis maximis ab eruditisſimo quoque cenſeretur.

Hæc eſt gloria certa, quæ ſerenisſimum ELECTOREM in ſæcula manebit: & hoc eſt decus Fridericianæ, ex tanti CONDITORIS amore & indulgentia profectum: vt omnino habeat illa, quo glorietur, ſe a ſapientisſimo PRINCIPE conditam eſſe, vt ſedes liberalium litterarum eſſet, cui ipſe auctoritate & gratia ſua honeſtisſimæ iuuentutis frequentiam conciliauerit, eamque ſuis curis ac optimis inſtitutis non conſeruet modo in optimo & florente ſtatu; ſed in dies etiam illuſtriorem celebrioremque faciat. Quidquid enim intra noſtram mediocritatem non conſiſtit, CON-

CONDITORI sereniſſimo debetur; cuius generis id maxime mirandum eſt, quod a primo ortu in hanc vſque lucem, grandior idemtidem grandiorque numerus a diſiunctiſſimis terrarum oris ad hanc beatiſſimam bonæ mentis, ac melioris doctrinæ arcem confluxerint, vt inde exemplum ſapientiæ, a ſapientiſſimo PRINCIPE in ea repoſitæ conſecratæque, peterent, & in patriam quisque ſuam transferrent, in ſuumque & ſuæ reipublicæ vſum ſalubriter applicarent. Maximi enim CONDITORIS gloriæ, & ſplendori fulgentiſſimi PRINCIPIS iuuentutis, RECTORIS noſtri MAGNIFICENTISSIMI, debemus, quod tot genere nobiles, tot virtute Maiorum illuſtres, in Academiam noſtram aduentauerint, nunc nuper etiam illuſtriſſimum ornamentum, cui iam par fortaſſis in omnibus Germaniæ Academiis non reperitur, ſereniſſimus DVX HOLSATIAE, Princeps ac Dominus noſter clementisſimus, acceſſerit, qui ſicut ſplendidiſſima præſentia ſua honorem eximium attulit ad Academiam, ita ea quoque reuerenter illud agnoſcit, & aſſidue operam dabit, vt ſummum Eius in ſtudiis colendis feruorem, qui ſane mirandus in tanta celſitudine eſt, ſummis vbique laudibus, qua fama tranſit Academiæ, proſequatur.

Hoc præſandum mihi fuit, Auditores, vt omnibus illuminate appareat, quantum patria noſtra cariſſima, quantum prouinciæ Brandenburgicæ, quantum denique hæc Fridericiana ſerenisſimi

ELECTORIS vitæ & ſaluti debeant, & quantum ab eadem, diuinitus, quod ſperatur, prorogata, exſpectent ſibi in poſterum. Ex quo manifeſtum eſt, quodnam hoc die, qui natalis eſt optimi PRINCIPIS, vniuscuiusque noſtrum ſit officium. Superiori anno precati a Deo immortali ſumus, vt æquabili fortunæ curſu incolumitas PATRIS PATRIAE, eiusque DOMVS celſisſimæ, cum prouinciarum & huius Academiæ tranquillitate conſeruaretur; adiecta ſponſione ſanctiſſima, ſi, vertente anno, conuicti eius deuotionis fuiſſemus, maioribus nos victimis DEO SERVATORI gratias acturos eſſe. Conuictos nos omnes videmus, Auditores, quia quæ Deum rogauimus, data nobis ad vnum ſunt omnia, & abundantius data, quam tum ipſi rogabamus. Nullum ergo nunc prius, nullum antiquius erit officium, quam vt voto, quo ipſi nos obſtrinximus, hoc natali die nos exſoluamus. Priſci Romani hoc moris & inſtituti tenuerunt, vt quum natali die munus annale Genio ſoluerent, manum a cæde ac ſanguine abſtinerent, ne die, qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent. Genium autem, quem natali die colebant, Deum interpretabantur, cuius in tutela quisque, vt natus eſt, viuat. Nos etiam anniuerſarium munus perſoluemus, verum, vt antea quoque dictum eſt, non Genio alicui; ſed Deo immortali, cui vota noſtra adfiximus; & in cuius tutela, ex quo natus fuit, ELECTOR noſter ſereniſſimus viuit, & feliciter viuit, ac floren-

rentem DOMVM ſuam remque publicam vbique tranquillam & fortunatam videt; etiam hanc Fridericianam ſuam incrementum in dies maius & illuſtrius capientem. Vt cædibus Romani hoc die, ſic omni nos impietate, omni ritu & conſuetudine profana abſtineamus, ne, dum Deum in futurum tempus, ſolutis votis prætermisſi, gratiisque, quas debemus, actis, propitiare ex officio ſtudemus; noſtris moribus noſtrisque vitiis aduerſus nos vltorem concitemus. Sic ſanctiora ſacra, quam Romani, faciemus, & auditurum Deum eſſe, quæ pro futuro anno vota nuncupaturi ſumus, certisſime ſperamus. Magna vtique ſunt, vt cognouiſtis, Auditores, quæ Deus ſerenisſimo PATRIAE PATRI, quæ auguſtæ DOMVI ELECTORALI, quæ prouinciis ditionis Brandenburgicæ omnibus, quæ dulcisſimæ noſtræ patriæ, quæ huic etiam Fridericianæ hoc anno, quem exegimus, concesſit, quibus ſi moram Deus & diuturnitatem adiecerit, cumulum bonis ſuis addidiſſe grata mente intelligemus, &, quæ pectore ſentimus, voce, vita, ſtudiis ætatem declarabimus.

Fac ergo, DEVS maxime, optime, vt diu ſerenisſimus ELECTOR illis bonis, quæ dediſti, frui posſit; vitam, quæſumus, da vegetam & longæuam, da animum Spiritu tuo illuminatum, eumdemque tuo firmatum robore, vt ſapienter regat populos, quos ipſius ditioni ſubieciſti. Electoralem DOMVM, ſerenisſimam CONIV-

GEM, LIBEROS vtriusque ſexus, FRATRES, SOROREM, ADFINES & AGNATOS, clementiſſimos omnes Principes noſtros, tuere ac conſerua, vt gaudeat ELECTOR Neceſſitudinibus, quum florere omnes propitio fauore tuo cognouerit. Serua pacem prouinciis, quam dediſti; ſecuritatem firma publicam, tranquillitatemque da conſtantem, ac nunquam deſituram: & Fridericianam, honori tuo dicatam, fortunare Deus perge, tua potenti manu tueri perge, tuo lumine illuſtra, tuo ductu rege, vt CONDITOR tua lætetur bonitate, quum creſcentem in dies, & magis efflorefcentem, te auctore, intellexerit. Sed non ita futura vt dentur, precamur a Deo, quaſi obliti ſimus, quæ accepimus, præteritorum. Secus pacti ſumus ſuperiori anno, quum vota pro SALVTE PRINCIPIS, pro publica tranquillitate ac pace, pro conſeruatione & incremento Academiæ faciebamus. Memores eorum ſumus, quæ tum vouimus, quibus nos, ſi adnuerit Deus, adſtrinximus. Soluenda illa ſunt & reddenda. Verbis & ſanctionibus, laudis victimas maiores tum pollicebamur. Laudamus ergo beneficum numen æterni Dei, quo tot innumeris nos bonis cumulauit: gratias voce agimus, animo habemus, quantas vel exprimere verbis vel concipere mente poſſumus: & hoc non vno die, ſed perpetuo, quamdiu ſumus ſuperſtites. Non enim tam verbis hoc, quam moribus, quam vita eſt perficiendum. Romani milites & prouinciales,

les, imperii die ſuſcepti redeunte, quem inſtar natalis, aut magis coluere, præeunte legato conſulari, aut prouinciæ proprætore, iusiurandum ſinguli repetierunt, quo primum in verba Principis iurauerant, pietate ſic certantes ac noua fidei obſequiique in ſingulos annos pollicitatione: atque ita demum VOTA PVBLICA reddiderunt, & dies ille, vt Plinius Secundus ait, DEBITA LAETITIA ET RELIGIONE CELEBRATVS FVIT. Recte factum & ordine. Exſoluturi nos vota noſtra, ſuperiore anno pro SALVTE PRINCIPIS, pro publica incolumitate concepta, quod gratias agendo, vt polliciti ſumus, præſtari debet; non id dignius, non religioſius perficiemus, quam ſi ad ſacramentum, quo obligati ſumus ſereniſſimo ELECTORI, quotidie reſpiciamus, & identidem id animo reuoluamus, faciamusque cum fide quod promiſimus. Id quod vobis etiam, generoſi & nobiliſſimi IVVENES, Academiæ huius CIVES, qui eodem vel pari vinculo, tam ſereniſſimo ELECTORI, quam Academiæ Eius deuincti eſtis, cum primis obſeruandum eſt, vt ſemper memores ſacramenti veſtri atque pacti, quo recepti in numeros, æque vt milites, fuiſtis, aut in ciuitatem adſcripti Academicam, religioſe ac pie faciatis quod tam ſancte omnes compromiſiſtis. Sic demum vere vota facietis hoc natali die: & ſic etiam ſuperioris temporis vos voto exſoluetis.

Reliquum eſt, Auditores ſplendidiſſimi, vt ſereniſſimo PRINCIPI ac ELECTORI, PATRIAE PATRI indulgentiſſimo, de quadrageſimo tertio natali, fauſtis ſideribus hac luce reducto, & de cumulatiſſima, quam is ſimul attulit, ſalute ac felicitate, publice gratulemur. Et tanto impenſius gratulabimur, tantoque ſincerius ac maiori religione, quo perſpectior probatiorque eſt Eius erga Fridericianam ſuam mirifica & ſingularis indulgentia. Experimur quotidie, quo adfectu, qua clementia in hanc ſedem liberalium litterarum ſit, nec credo in Principibus ſæculi noſtri eſſe, qui illuſtrioribus documentis, quanti bonas litteras faciat, orbi expoſuerit. Vt cetera, & alio tempore demisſisſime laudata, prætereamus, quantum illud eſt, quod nuperrimis litteris ſignificauit, ſe clementiſſime conſtituiſſe, vt ſereniſſimus iuuentutis PRINCEPS, vnicus & tenerrime dilectus FILIVS, exacto quinquennio imperii Academici, etiam ſextum annum præſit nobis & Fridericianæ RECTOR MAGNIFICENTISSIMVS? nec de ſexto tantummodo anno, ſed de futuris etiam temporibus, quod maxime demirandum laudandumque eſt, eadem clementiſſima voluntate proſpexit & ordinauit. O nimium dilectam CONDITORI ſuo Academiam! quod pignus carius amoris in eam ſui ſingularisque clementiæ poſſit dare, quam celſiſſimum NOMEN cariſſimi, quem vnice amat, in ſpem Electoratus & tot


tot prouinciarum geniti FILII? Non credo,post conditas singulas Academias, in tanto fastigio, ad tantam spem natum PRINCIPEM tot annos suæ præsedisse Academiæ. Honor ingens inde,& splendor,& auctoritas accedit Academiæ: ad celsissimum autem FILIVM RECTOREM nostrum clementissimum, hoc non inani titulo defertur virtutis incitamentum, vt adolescens adsuescat cum Musis versari, præclaras litteras amare, & maximi PATRIS exemplo easdem fouere, ornare, & in maius illustriusque promouere: ad ipsum denique serenissimum PARENTEM, nostrum mitissimum DOMINVM, ex hoc redundat immortalis gloria, per omnium sæculorum memoriam duratura; esse illum prope vnicum Principem nostrorum temporum, qui pro sapientia sua præclaras litteras & liberalia studia, vnde salus est reipublicæ, ex vero æstimare possit, & suam illis dignitatem restituat ac tueatur: quæ vicissim erga illum non ingratæ sunt. sed voce, scriptis gloriam illius, a quo ita ornatæ sunt, æternitati, quam solam gratiam referre possunt,commendant, & perpetuo commendabunt.Hæ rationes sunt, & momentorum pondera quibus publice demonstrandum erat, quum & aliæ Academiæ suis quæque Principibus idemtidem gratulentur, nostram SVO gratulari sincerissime, hoc est, non quod ita consuetudo aliarum ferat, sed quod inusitata clementia, & incredibilibus beneficiis se

magis, quam ceteras, deuinctam AVCTORI suo esse intelligat.

TIBI ergo, potentissime ELECTOR, DOMINE, clementissime, gratulamur, nostram lætitiam, publicam lætitiam, ex natali TVO nobis ortam, publice testamur: quam carus DEO TVO sis, cuius numine tam felix es, lætabundi admiramur, & auctorem felicitatis TVÆ æternis laudibus prosequimur. Pro salute TVA, quæ nostra nobis carior est, certatim quondam vota nuncupauimus: audiuit Deus, & dedit quæ precati fuimus, TE ac Tuos incolumes conseruando, & TVAM augendo felicitatem: nostram quoque tranquillitatem, immo publicam, prorogando. Concepimus quoque in futurum vota, conuerso anno, si adnuerit Deus, persoluenda, quæ non minus, quam superiora, confidimus Deo rata fore, vt dies hic quotannis lætior feliciorque & TIBI & TVIS & nobis omnibus recurrat. Deus TE seruet PRINCEPS optime, PATER clementissime: Deus vitam TVAM seruet, salutem seruet, annos augeat, imperium fortunet, gloriam in sæcula transmittat. Tot annis expertus cælestem bonitatem, spem bonam quoque concipe, nec sequuturis temporibus eamdem TIBI defuturam. Vide studium omnium ditioni Tuæ subiectorum, idem nunc sentientium, id est, certatim precantium a Deo salutem TVAM. Non infructuosæ possunt preces esse hominum innumerabilium pro TE vno die, vna hora Deum sollicitantium: non irrita vota

legi-

legitime ab omnibus nunc ſuſcepta, conſignata,& memoriæ cauſſa adfixa. Erit circumacto anno dies, quo gratias Deo agamus, quo TIBI & felicitati TVÆ gratulemur, quam ſperamus & prædicimus, clementia diuina confiſi, in poſterum quoque conſeruatum iri. Gaude ergo TVIS bonis, PRINCEPS optime, & fruere gloria bonitatis TVAE, iuſtitiæ TVAE, amoris TVI litterarii, vt æternum gaudeas, & gloriæ TVAE interſis, eiusque præſumas immortalitatem, videns & præſentiens, quam æque poſteritas, quam honorifice de virtutibus TVIS, de meritis maximis perpetuo ſit iudicatura, quia iam omnes tam ſincere, tam digne de gloria, quam conſequutus es, iudicant, & facta tua in cælum attollunt. Ea eſt vera vita, quæ in animis, in memoria poſterorum, manente & vigente gloria, æternum viuitur, quam vtique viuis viuesque immortalem, quia cum aliis innumeris, tum maxime diuino facto, dedicatione Academiæ, meritus es gloriæ perennantis immortalitatem.



ORATIO VII.

FRIDERICO III.

MARCHIONI BRANDENBVRGICO, SACRI ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO, CETERA.

DE NATALI XLIV

FAVSTIS SIDERIBVS V IDVS IVLII cIↃIↃcc EXORTO,

Habita.

QVum plausus & faustæ gratulationes ex auspicatissimis NVPTIIS HASSO-BRANDENBVRGICIS resonare nondum desierunt, nouum lætandi gratulandique argumentum de cælo adfertur, serenissimus DIES NATALIS potentissimi ELECTORIS BRANDENBVRGICI, DOMINI nostri clementissimi, in tantum indulgente cælesti providentia, vt Brandenburgicis gentibus nunquam gratulationum votorumque soluendorum finis sit, quia nullus finis est continuandæ felicitatis publicæ. Huius enim non mediocris accessio fuit, quod tanti Principis

ac

ac Electoris FILIA vnica, decus sui ordinis atque sexus, tam faustis auspiciis cum iuueni PRINCIPE, Maiorum æque gloria & suis virtutibus fulgentissimo, coniuncta, atque ita inter potentes domus, Brandenburgicam & Hasso-Cassellanam, olim initum fœdus, sæpiusque repetitum, hoc nouo connubio firmatius est factum denuo. Tantæ felicitati, qua omnes lætamur, ingentem cumulum dies hodiernus addit, qui, propitio cælo reductus, indulgentissimum PATRIAE PATREM saluum & incolumem, stante ac florente republica & hoc litterarum domicilio, diuina benignitate seruatum reddit, idemque tanto spem maiorem facit futuræ, eiusque in maius prouehendæ, prosperitatis, quanto luculentiores nos hoc anno & sæculari cardine ad bene sperandum salutis atque lætitiæ præsagia exhortantur. Contigit enim mihi, nescio qua sorte, diuina tamen quod non dubito, vt singulare dicendi argumentum reuolutio temporum atque ipsius sæculi ordo & successio præstet. Etsi enim cuncta tempora & ortu suo & continenti decursione sunt paria, ab omni tamen antiquitate creditum fuit vim quamdam illorum ordini inesse, si ambitu quodam in se definiantur, & in orbem quasi cum cæli motu redeant, vt ille annus, quo cardo vertitur, omen quoddam præ ceteris temporibus habeat: &, si ille feliciter conuertatur, spem non incertam faciat, benignitate fatorum fore, vt futura quoque tempora sine offensa fortunæ, &

qua-

quabili processu tranquillitatis, promoueantur: quia pronum ad spem est & fiduciam, quod numen adhuc pro nostra salute vigilauit, ei eamdem quoque in posterum curæ futuram esse, nisi ipsi bonitatem eius, quod abominor, abalienemus. Sic Romanorum principes quinquennalia, decennalia, vicennalia, tam votis quam ludis varii generis celebrauerunt, quod ex præteriti temporis decursione augurium futuri capiebant, non defore illius similem felicitatem, quæ priorem orbem temporis secundo cursu circumegisset. Quo maior ambitus & circuitio temporis, eo certius Romanis augurium erat, vt ita illa lege centesimus quisque annus, capacissimo descriptus circulo, eximium aliquid prosperrimumque polliceatur in posterum. Si per se quisque natalis dies ad sperandam felicitatem, exactæ seu perceptæ similem, valet: quanto maiorem ex illo die, qui in annum sæcularem incidit, prosperitatem sperabimus, quam non simplex sperandi ratio, sed tot præclaris ominibus corroborata, & euentu adhuc & faustis exemplis comprobata, haud dubie, sed certis significationibus promittit? Quoad mens respicere præteriti sæculi spatium potest, & eorum meminisse, quæ partim nostra gesta ætate sunt, partim ex annalibus obseruata; hoc sæculare tempus, quod exegimus modo, serenissimæ GENTI BRANDENBVRGICAE video salubre ita & tam felix ac fortunatum exstitisse, vt priora tempora cuncta,

si

ſi cum illo conferantur, exiguum momentum, quamlibet per ſe magnum, ad comparationem adferant. Nec in Romano imperio facile Princeps eſt, cuius domui tanta vno ſæculo potentia adcreuerit, vt tot ampliſſimis prouinciis hereditario iure aut transactionibus potiretur, tantisque victoriis rebusque maximis geſtis auctoritatem ſummam & felicitatis faſtigium obtineret. Vix ortum erat illud ſæculum, quum opulentis prouinciis Cliuenſi, Marcana, Rauensbergenſi poſſeſſiones augerentur Brandenburgicæ. Ad medietatem illud tempus inclinabat, quum Pomerania vtraque certo iure iisdem, quod nemo dubitabat, accederet: vlterior etiam, quam longa eſt, eadem tempeſtate obtineretur; citerior, pace Germaniæ ſic exigente, cum magnis & præclaris regionibus, Magdeburgenſi, Halberſtadienſi, Mindenſi permutaretur. Iisdem prope temporibus, quo Cliuenſem Ducatum & Weſtphalicos Comitatus DOMVS BRANDENBVRGICA conſequuta eſt, Boruſſia quoque ad eamdem, hereditate itidem, vel vxorio iure, translata fuit, ſed vt ſuprema poteſtas penes Polonos eſſet: quo nexu poſt medium ſæculum FRIDERICVS WILHELMVS Magnus exſoluit, vt ſummo ipſe iure ac immunitate posſideret, atque ita immunem liberamque in poſteros etiam transmitteret; inſuperque Pomerelliæ non exiguas partes conſequeretur. Quid de rebus bellicis & indidem parta gloria dicam?

cam? Gesserat magnas res ALBERTVS Elector, inde Achilles Teutonicus cognominatus: gesserant etiam alii Marchiones & Electores Brandenburgici; sed maiores vtique gessit Magnus FRIDERICVS WILHELMVS, quas eadem magnitudine gloriaque FRIDERICVS III, PATRI par felicitate, continuat & auget; vterque & opum amplitudine, & eximia potentia, & inuicto exercituum robore cum Regibus comparandus. Quid de nauigationibus in Africam & Americæ litora institutis dicemus, quibus omnes Principes Germaniæ superantur? scilicet maior virtus huius Gentis est, & excitatior eius gloria, quam vt Germaniæ contineri finibus, aut vicinarum regionum potuerit: in transmarinas nationes penetrauit, & extra Europæ limites sedem fixit, castella muniuit, & sic terra marique potentiam suam validissime tuetur. Tantum decus, tantumque, quod cælo imputamus, incrementum indepta Gens Brandenburgica est transacto sæculo, quod vtique in memoriam hoc die reuocamus, quia hic natalis, siue præteriti sæculi postremus, siue primus ineuntis est, certe in medio inter vtrumque sæculum constitutus est, vt tam respiciat in prætermissa tempora, quam futura augurando ominandoque diuinet ac præsentiat. Ingentia Dei munera sunt, quæ contulit hoc sæculo in serenissimam DOMVM Brandenburgicam: cui vt gratias hoc natali die agamus, vtique officii nostri est & omnium illorum,

lorum, qui deuinctos se huic potentissimæ FAMILIAE intelligunt: simul vt bene de futuris speremus, nostramque spem piis precibus & votorum nuncupatione confirmemus. Ceteris natalibus, superioris anni beneficia, diuinitus conlata, expendebamus; præsenti hoc, superioris sæculi sunt expendenda, quia sæcularis anni natalis est, & in sæculum ante actum, quam longum est, respicere iubet, & quidquid bonorum eo spatio Brandenburgicæ Genti accessit, grato & lætabundo animo reuoluere ac pensitare. Dicitis fortassis mihi, quid opus sit, vetustarum rerum & oblitteratarum memoriam effodere, quum omnino satis videatur, prætermissis antiquioribus, primum serenissimi ELECTORIS natalem, quo in lucem editus est, repetiisse. Ita alio tempore agebamus, & id nostro sufficiebat instituto; non autem æque præsenti tempori: cuius est quoque non negligere, quæ sæculi vniuersi sunt, quia non postremis demum temporibus serenissima DOMVS ea incrementa cepit, sed altius & ab initio sæculi repetendum est, quibus caussis, & qua fortuna, id est diuina prouidentia; quibusque auspiciis & parta fuerit felicitas Brandenburgica, & aucta eadem, & ad hoc, in quo stat, fastigium adducta sit. Quod potius enim gratulandi argumentum natali die potest esse, quam felicitas ELECTORIS & DOMINI nostri? Quid propius instituto, quam ab origine & caussis felicitatem explicare? quæ quod per sæcu-

ſæculum recurrunt ad ſua initia, inde quoque repetenda ſunt, præſertim hoc tempore, quo ſæcularis acceptorum memoria cuiuis non ingrato homini, nec deſidi in officio, eſt recolenda. O mirificam æterni Numinis erga BRANDENBVRGICAM DOMVM per integrum ſæculum benignitatem & clementiam! cui enim genti, quibus principibus ita bona ſua cumulavit, vt Brandenburgicis? & quibus tanta incrementa poſſeſſionum dedit, quanta iisdem Brandenburgicis? tantam conceſſit, auxit, conſeruauit felicitatem, quanta huius DOMVS ELECTORALIS diuino beneficio & prouidentia eſt? Quid felicius foret, quam ſi Deus his muneribus ſuis adiiceret perpetuitatem? ſed additurum eſſe non eſt quod dubitemus, quum æterna ſit eius bonitas & immutabilis, cui ſolemne eſt benefacere, & mereri de genere humano: pro quo nihil viciſſim repoſcit quam memoriam beneficiorum; nihil grauius deteſtatur quam eorumdem obliuionem. Beneficum ſidus Deus eſt: vbique radios diffundit ſuos, quos nec retrahit, neque nubibus inducit, niſi homines ſe ipſi auertant, illos declinent & aſpernentur. Ea autem, Auditores, eſt conditio noſtræ patriæ, & Brandenburgicarum prouinciarum omnium, ea ſacrorum cura & puritas doctrinæ cæleſtis; ea iuſtitia ſanctis legibus cuſtodita, vt ſpes omnino ſuperſit, quæ abundans adhuc in Brandenburgicam GENTEM diuina fuit clementia, eam nec in poſterum de-

futu-

futuram esse, præsertim quum omni studio id egerimus, vt votis precibusque piis & moribus castis diuinam illam beneuolentiam retineamus. Bene ergo speremus de nouo sæculo, non minus faustum serenissimo ELECTORI nostro, & vniuersæ GENTI Brandenburgicæ, & nostræ etiam Academiæ fore, quia auspicia omnia addicunt, & non minorem felicitatem, quam adhuc fuit, in posterum quoque futuram esse promittunt. Quæritis, Auditores, quænam sint illa auguria, quibus confisi tanta bona prænuntiemus. Diximus de æterna Dei erga nostram patriam eiusque PARENTEM, tot adhuc significationibus, tot illustribus exemplis declarata benignitate, quæ vtique non auertetur, nisi nostris illam ab recto auersis moribus interuertamus. Accedit serenissimi PATRIAE PATRIS incolumitas per tot annos sine offensa valetudinis conseruata, quam hoc maxime natali die ad animum proponamus, identidem cogitantes, quanta in illo sit nobis salus data, quanta felicitas addita, quia Principis salus omnium quoque salus est & prosperitas, qui ditioni subiecti, eius cura, præsidio, ac virtutis robore tuti sunt & tranquille agunt. Id enim in caussa fuit, vt maiores nostri, cordatissimi mortales, si cui natalis dies incolumi atque saluo rediisset, fausta inde & felicia ominarentur, futurum scilicet in posterum esse, vt, quæ tam auspicato die salus certa esset, eadem nec deinceps vacillaret, sed diutissime,

ſime, æquabili fortunæ curſu, florente eius re atque familia, conſeruaretur. Quod quidem ſicuti iuſtam rationem in priuatis hominibus habuit, ita certiorem habebit in tanto PRINCIPE & tot prouinciarum RECTORE atque PATRE, pro cuius ſalute tot vota quotannis, quot menſibus, immo quotidie concipiuntur: quæ quum rata fuiſſe cum primis natali die intelligamus; cur non de huius etiam diei votis, ab incredibili multitudine hominum aut iam conceptis aut mox concipiendis, ſperemus itidem, non fore irrita, ſed tanto fructuoſiora, quo plura non vnius anni, ſed ſæculi vota ſæculari hoc tempore coniunguntur, vt futuro quoque Brandenburgicis rebus propitius Deus ſit, & in quem locum felicitatis perduxit eas, in eodem etiam perpetuo conſeruet, ac pro mirifica bonitate addat, prouehat, quousque commodum & ſalubre viſum fuerit. In eo itaque ſtatu, Auditores, res noſtræ ſunt, vt ſperemus & confidamus fore, vt adnuat Deus noſtris votis atque precibus, ſicut nunquam adhuc ſiuit infructuoſa eſſe aut irrita, quæ calendis Iuliis ab ipſo tot annos pro ELECTORIS & publica ſalute precati ſumus. Nec incertum augurium eſt quod ex ipſa noſtra Fridericiana Academia accipimus. Condita illa fuit, vt noſtis, armorum ſtrepitu circumſonante, fremente vndique liuore ac inuidia, vt multi, qui de futuris coniicere ſuæ diſciplinæ credebant eſſe, difficiliores eius progreſſus & incrementa fore,

fore, quam initium fuerat, sibi persuaderent. Vicit vero Brandenburgica fortuna, & propitio Numine factum, vt magis magisque per annos floreret, hoc autem sæculari Christianorum tempore, quod felix omen esse existimo, florentior multum sit, numeroque frequentior aduentantium. Quis ergo exinde non diuinabit, nouo sæculo eamdem illius fortunam fore, & incrementa maiora habituram? quæ consequuti si fuerimus, vt minime dubitamus, vtique etiam salus publica, felicitasque temporum, quam Romani sæcularibus ludis precabantur, auctior meliorque futura est, quia, vt possit esse, ipsa studia litterarum, quæ in Academiis excoluntur, efficiunt. Ea enim beata est respublica, in qua singuli ciues honeste viuunt, ius & æquum colunt, quod turpe inceptu, turpe exitu, defugiunt atque vitant. Quare quæ res animos hominum efficere meliores, eorumque naturam adiuuare potest, vti facilius ad id, quod bonum rectumque est, perducantur; ea profecto ad beandam ciuitatem vel rempublicam, plurimum adferre censenda est. Nota enim est hominum asperitas, noti barbari & inconditi plerorumque mores, qui nisi colantur, emendentur, tristis sane & horrida est rerum facies, & inculta potius illuuies vitiorum, quam vera & ordinata societas hominum. Litterarum autem illud munus & beneficium est, vt hominum mores ad ciuilem vitam ac moderationem rerum omnium addu-

cantur, a quibus magni & incomparabiles fructus ad reipublicæ salutem stabilitatemque perveniant. Quod si nihil boni aliud litterarum studia ad communem vtilitatem adferant, quam quod morum asperitatem emolliunt, ciuilioremque vitam in ciuitates & hominum conuentus inducunt; multum tamen esset, quod culturæ illarum mortalium genus acceptum referret. At plura omnino disciplinæ & liberalia studia ad rempublicam, vt fortunata sit, adportant, quia eruditio in homine sapientiam virtutemque, si quæ insita & innata est, adiuuat, vt aliquid magnum eximiumque inde proficiscatur. Quo enim plures in hominum societate sunt, qui ex litterarum disciplina intelligunt, quod rectum iustumque; & quod summum humanæ vitæ bonum, quo actiones omnes, consilia omnia referenda: quod cuique officium patriæ, quod imperantibus, quod ciuibus atque amicis impendendum, quo, inquam, plures hæc didicerunt, eo beatior est illa respublica, quia facilius bonum homines, quod intelligunt, faciunt, quam quod ignorant; facilius vitant vitia quorum fœditatem cernunt, quam si maximo errore pro recto & bono habeant. Iam vero condita est hæc Academia, & tribus Brandenburgicis superadiecta, vt nulla vspiam in Brandenburgicis prouinciis occasio desit discendi bonas litteras & honestas disciplinas, & per illas consequendi felicitatem publicam. Vt vero, supra quam sperabamus, hæc Academia ita creuit,

creuit, vt quamlibet recens, cum antiquissimis numerosissimisque certare possit; sic ex flore eiusdem, sub exitu sæculi se proferente, non tam coniicimus, quam diuinamus, futurum esse, Deo bene iuuante, vt maturior facta ineunte sæculo nouo, & plures & præstantiores fructus ad rempublicam & patriæ salutem adferat. Quod si hoc, vnde omen petimus, spem nostram non fefellerit, sicut adhuc eius rationes bene constiterunt; consequens esse quis non videt, vt cum incremento Academiæ virtus & sapientia, ex litterarum studiis profectæ, latius per prouincias disseminentur, & qui proprius earum fructus est, rerum omnium statum feliciorem proferant? Quod si enim plures litterarum doctrina imbuti sunt, illis quoque consulitur recte, quorum laus in obsequio est posita, vt pareant iis, qui plus intelligunt, & ope ac consiliis alios possunt adiuuare. Omnes litterarum studiis operam dare, per humanæ vitæ ærumnas nequit fieri, & satis bene agitur cum republica, si illi, quos Deus in rebus auctioribus collocauit, pectus earum artium cognitione impleant, quibus instructi rempublicam capessere, eamque tutari ac stabilire possint. Quod quum præcipue fiat in Brandenburgicis regionibus, in qua tot illustres Academiæ, tot domicilia litterarum ac bonæ mentis sacraria, & honesti ac virtutis arces atque præsidia sunt ideo constituta, vt præclaris artibus iuuentus erudita, quod optimum, sectetur, suamque rempublicam & ornet pulcherrime,

rime, & virtutis, quod tenet, præſidio tueatur. Videtis ſic, ſplendidiſſimi Auditores, quantum augurium felicitatis det litterarum florentior ſtatus, noſtræ præſertim Fridericianæ Academiæ: vt ex illa quoque ſpes noſtra confirmetur, felix ac fortunatum, quod natali die precamur, inſequenti ſæculo imperium FRIDERICI III, Domini noſtri indulgentiſſimi fore, quia ſub ſapientiſſimo PRINCIPE, litterarumque fugientium ſtatore defenſoreque inſtituuntur permulti, qui adminiſtri ſint olim in republica ex prudentiæ præceptis atque legibus gerenda: plures, qui priuatas res ſuas bene adminiſtrent, virtutem colentes, & erga quemuis obſeruantes iura æquitatis. Respublica compoſita ex ſocietatibus eſt, ſocietates ex hominibus ſingulis, quorum ſi quisque facit, quod ſuum eſt, & vt leges ſapientiæ præcipiunt; vniuerſa profecto respublica ſe bene habet, & in maius meliusque ſucceſſu temporum promouetur. Tam clarum augurium ex prouentu litterarum elucet, quibus ad vtrumque ſtatum, pacem & bellum, generoſa pectora præformantur, maxime tamen ad pacem & tranquillitatem, quia liberales illæ diſciplinæ ſunt otii & quietis honeſtamenta: & pace, quam bello, vberius proueniunt, & fructus copioſiores ferunt, eosque ad tutandam pacem & tranquillitatem conferunt. Id quod etiam ſereniſſimo ELECTORI, Principi noſtro vere pacifico, maiori curæ eſt quam vel clariſſimi triumphi & victoriæ. Vnde nouum nobis ſtatus

optimi,

optimi, hoc est felicitatis publicæ, augurium existit, quia potentissimus ELECTOR robur & potentiam suam magis ad pacem conseruandam, quam ad maiorem ex bellis comparandam gloriam, impendit. Quod enim ad Albim nunc copias eduxit, non belli gerendi, sed pacis firmandæ id caussa fieri, quis nostrum est qui ignoret? Omnes futurum sperant, vt Cimbrici motus, antequam proferantur longius, HVIVS virtute auctoritateque sedentur & comprimantur, & pax, nuper Germaniæ reparata, perpetuo conseruetur. [redacted] Dulce nomen pacis est, dulce libertatis: sed pax & libertas, sine armis defendi & conseruari nequeunt, vt ille demum pacem tutam habeat, cuius arma parata sunt ad repellendum quidquid hostile ingruerit. In hoc etiam serenissimus ELECTOR, quod BONI PRINCIPIS est, egregie præstat, dum ita pacis studiosus est, vt bellum quoque profligare valeat, quod nisi vtrumque coniunctum sit, intuta pax,

& ſeruitus magis quam tranquilla eſt ſecuritas. Sed quorſum hæc diſputamus? Omina natalis diei, coniuncta cum ominibus ſæculi vertentis, in hanc nos digreſſionem abduxerunt; vt & diem hunc auſpicalem, & annum ſæculi finitorem, fauſta omnia non ſuperſtitioſis hariolationibus, ſed certis ac claris auguriis ſignificare demonſtremus. Eſt in illis æterna Dei bonitas cum antea longo tempore, tum maxime per ſæculum, quod finimus, Brandenburgicæ Genti luculentiſſime declarata, quæ dum ſub noui ſæculi auſpicium immota, conſtans, & eadem manet, quæ ſuperiori tempore fuerat; an eſt quiſquam qui dubitet, Deum proinde etiam ſæculo, quod inimus, propitium fore, & bona bonis, vt ſolemne ipſi eſt, continuaturum? Eſt etiam incolumitas ſereniſſimi ELECTORIS, tot hominum precibus tot votis conceptis Deo commendata, vt nefas ſit dubitare, quin idem auditurus ſit, quod tot populi iam precantur atque contendunt. Eſt quoque ipſius PRINCIPIS atque ELECTORIS ingenium mite atque pacificum, cuius incomparabilis virtus quum robore legionum præmunita ſit, maius inde arbitrium pacis penes ipſum eſt, eoque id eueniet, vt diuturniori tranquillitate & reſpublica & otium litterarium ſtabiliatur. Eſt denique huius Fridericianæ Academiæ non mediocre incrementum, ex quo non poſſumus, quin ſæculi felicitatem exſpectemus, quia iuuentute præclaris artibus inſtituta, reipu-

reipublicæ præficiuntur, qui ex æquo & bono administrant, quorum exemplis, perinde vt præceptis, docentur alii, quum ipsi faciunt quod aliis præcipiunt, vt vtrobique virtutis honestatisque, qui optimus status est reipublicæ, ratio habeatur. Tantum commodum & ornamentum reipublicæ litterarum studia & præclaræ disciplinæ adferunt! quibus apud nos singulari adiumento est, quod serenissimi CONDITORIS gloria exteros æque ac indigenas in hanc opinionem, aut firmam potius persuasionem inducit, id quod a Principe sapientissimo institutum conseruatumque sit, non posse non sapienter esse dispositum, & omnibus numeris fructiferum atque perfectum. Accedit splendor maxime coruscus ex fulgentissimo nomine serenissimi IVVENTVTIS PRINCIPIS, Rectoris Academiæ Magnificentissimi, Domini nostri clementissimi, quem optimus PATER tot annos Academiæ suæ præesse voluit, & nunc quoque illam benignissimam voluntatem non desinit prorogare, clementissime indulgens, vt etiam septimo anno carissimus FILIVS, quem vnice amat, Fridericianæ suæ RECTOR MAGNIFICENTISSIMVS, quod feliciffime vertat, proclametur. Multa iam auguria obseruabamus, quæ futuræ felicitatis certiores nos faciebant, quorum præcipuis hoc puto adiiciendum esse, quod ex præsidio iuuentutis PRINCIPIS captamus. A teneris initiatus Musarum sacris, iam ea est ætate, vt ipse intelligat, repetito toties hoc Academico honore,

litterarum ſtudia eorumque præſidium ab indulgentiſſimo PARENTE commendari, quæ etiam obſequentiſſimus FILIVS, commendatiſſima ſibi habet, & magis atque magis, adultior factus, in poſterum habebit. Numquam enim Academiam deſinet fouere, quam ipſe rexit, quæ cum ipſo adoleuit, cum cuius incrementis ſuos annos PRINCEPS laudatiſſimus numerauit. Quod reliquum eſt, gratias Deo agimus atque habemus, qui votis noſtris, ſuperiori anno pro ſalute EIVS, quem PRINCIPEM populi eſſe voluit, nuncupatis, benigniſſime adnuit. Quod enim ille ſaluus, id tuum munus eſt, æterne Deus: quod incolumem & florentem videt rempublicam, etiam munus tuum eſt: quod CONIVGEM ſaluam videt, quod LIBEROS florentes, & in his FILIAM feliciter deſponſam, id tuo numini, tuæque prouidentiæ imputamus. Te laudamus, qui Brandenburgicam rem in ſublimiorem locum, quam vnquam fuerat, ſuperiori ætate euexiſti; euectam, vt bene conſiſtat, ſtabiliuiſti firmiſſime. Serua quæſumus, quem PRINCIPEM dediſti nobis: ſerua, quibus ornaſti illum, diuina tua munera: da vitam longæuam, da FAMILIAE incolumitatem. Serua felicitatem imperii, fortunam prouinciarum, florem huius Academiæ, auſpiciis tuis, ipſius ductu conditæ, & tuo numine in maius meliusque adhuc prouectæ; vt ſingulis circumactis annis, votorum damnati maiores tibi maioresque gratias agamus. Tibi vero ſereniſſime

ELE-

ELECTOR, DOMINE clementissime gratulamur, TVIS bonis, TVA vita, TVA felicitate nimiopere lætamur, nostramque lætitiam & gratulationem publica voce, lætabundo gestu, magnis plausibus significamus. O quam carus Deo tuo es, qui tantis Te bonis cumulauit! Nunc intelligimus preces & vota nostra, pro salute tua suscepta, numquam infructuosa esse, quia, quæ precabamur superiore anno, reddita nobis sunt omnia, & plura ac maiora data, quam precabamur. Gaude ergo bonis TVIS PRINCEPS optime: sufficere muneribus diuinis: quibus vt semper gaudeas, TVO nomine, pro TVA salute, pro felicitate TVA, vota noua non vnius anni, sed vicennalia, triecennalia, & ampliora etiam facimus, & quotannis renouabimus, vt salus TVA & felicitas per longam sæculi, quod inimus, partem TE comitetur. Gloria autem TE semper comitabitur, quam tum aliis maximis TVIS operibus, tum diuino facto, dedicatione Academiæ, meritus es immortalem.



ORA-

ORATIO VIII.

FRIDERICO REGI BORVSSIAE, MARCHIONI BRANDENBVRGICO, CETERA,

DE NATALI XLV.

FAVSTIS SIDERIBVS CALEND. XI IVLII clↃ IↃCCI. DE CAELO REDVCTO

Dicta.

MAius religionis munus sanctiorque reuerentia ad accuratiorem, quam vnquam fuit, NATALIS huius celebrationem nos obstringit, Auditores. Etenim natales dies sunt ideo festi & venerabiles, quod quæ illis bona nobis, vel iis quos amamus, quosque colimus, diuinitus annis singulis contigerunt, in animum atque memoriam iucunde nobis reuocant, nosque identidem admonent, vt solutis prioribus, nuncupatisque nouis votis procuremus, quæ pietatis lege cælo sacrificia debentur, cuius benignitate nos, ac nostros servatos

vatos intelligimus. Academia officium ſuum gratulabunda fecit, quoties, ex quo condita fuit, annorum reuolutione hæc auſpicata lux adfulſerat; & annis ſingulis iuſtas rationes habuit vt faceret: ſed nunquam iuſtiores quam hoc præſenti die. Per ſacrum numerum percucurrit Academia, & ſepties deuotione illa, quam auguſto CONDITORI ſuo & SERVATORI munificentiſſimo debet, natalem auſpicatiſſimum inter preces & vota, fauſtasque acclamationes celebrauit, atque ea omnia perfecit, quæ cum illius diei religio & cærimoniæ, tum cultus noſter demiſſiſſimus & pietas exigebant. Nunc vero, quum octauum hæc lux nobis exorta eſt, auguſtiorem illa venerationis & obſeruantiæ ſpeciem commendat, quia eum nobis de cælo natalem poſt quadraginta quatuor adducit, qui ſuperioribus maieſtate ſua multo ſplendidior exiſtit, & REGIVS primus natalis eſt, quem tanto deuotione pietateque colamus, quanto REGIA MAIESTAS omnes reliquas ſupereminet dignitates. Qui natales religioſe agunt, cum vniuerſa ab ineunte ætate, tum maxime exacti anni diuina munera expendunt, & grato animo recolunt, quæ quo illuſtriora exſtiterunt, eo maiorem ſplendidioremque lætitiam adferunt, & ad opimiora vota, ſi adnuerit Deus, in futurum etiam adſtringunt, Iam propius ad rem maximam, quæ propria huius diei eſt, accedimus explicandam. Noſtis, Auditores ſplendidiſſimi, mire ingentia & ſublimia omnia eſſe, quibus tam

no-

noſtra, quam patrum memoria beneficum Numen excelſisſimam DOMVM BRANDENBVRGICAM ornamentis incrementisque ampliauit adeo, vt maiora conferri aut aliquid addi poſſe vix quisquam noſtrum crediderit. Hoc vero, quem agimus, anno, aut, ſi natalibus finiri vultis tempora, anno, qui heri exiit: tantus acceſſit cumulus, cæleſti benignitate, vt nunc perfecta demum felicitas & ſumma videatur eſſe, antea tantum magna & eximia fuiſſe. Poſtquam enim ſereniſſimus potentiſſimusque Princeps & Dominus, Dominus FRIDERICVS, Marchio Brandenburgicus, S. Rom. Imperii Archicamerarius & Elector, reliqua, Dominus noſter multo clementiſſimus, Ianuario nuper menſe REGALE faſtigium, quod ſummum in Orbe terrarum eſt, auſpiciis fauſtis & benigniſſimis fatis in Boruſſia conſcendit, vtique magnis antea rebus Brandenburgicis, & paucorum fortunæ comparandis, quod maximum in humanis eſt, abundantiſſima Dei bonitate eſt ſuperadditum. Quum igitur annus hic, quem hodiernus dies finit & nouum incipit, cumulatiora, quam anteacti, bona, aut cumulatiſſima potius, vt omnes noſtis, attulerit; omnino hic dies, qui recolet illa & nataliciis ſacris proſequetur, auguſtior religioſiorque, quam qui anteceſſerunt natales, habendus eſt, maioribusque laudum victimis, & votis curatioribus pro REGIS, hoc eſt publica ſalute, conſecrandus. Eſt enim & feſtis diebus diſcrimen

ſan-

ſanctitatis, vt, quo illuſtriora ſunt cæli beneficia, quorum vel memoriam vel ſpem ac votum ſuſtinent, eo ſacratiori etiam religione ac cærimonia tranſigantur, vt pietatis officia cæleſtium munerum magnitudini, quia æquare non poſſunt, certo tamen modo, ac ratione quadam reſpondeant. Videtis ſic, Auditores, quanta nos hodie religio circumſtet, quanta officii neceſſitudo premat, vt maiori veneratione ſanctitateque ſolemniori hanc lucem celebremus, quæ tam præclara, tam excelſa bona in ſalute REGIS clementiſſimi huic Fridericianæ Academiæ & vniuerſæ patriæ attulit. Quod quia muneris mei ratio ſuſcipiendum mihi perficiendumque iniungit, vellem equidem tantum mihi ingenii eſſet, vt digne poſſim magnificentiam diei huius illuſtrare, & ea dicere, vouere ac precari, quæ cum REGIS maieſtate atque gloria conueniant; cuius benefica ſalus, diuinitus ſeruata, & mirifice aucta ornataque, argumentum orationis erit ſummum ac ita copioſum, vt difficilius ſit illius exitum, quam principium aut progreſſum inuenire. Dicendum enim mihi eſt de magnitudine diuinæ benignitatis ac prouidentiæ, qua REGEM & DOMINVM clementiſſimum noſtrum, ad quadrageſimum & quintum vsque ætatis annum, ſaluum atque incolumem habemus: ac iis hoc anno ornatum, cumulatum dignitatibus, vt ad apicem humanæ felicitatis, ſummumque, quod Deus hominibus dat, faſtigium, nunc maxime propitio cælo fuerit euectus.

Dicen-

Dicendum deinde de infinitis commodis, quæ ex REGIS ſalute in nos vniuerſos tam pacis quam belli temporibus deriuantur. Et tandem, quod proprium huius diei eſt, de futuro quoque ſolliciti, vt ſalus REGIS, & quæ inde felicitas eſt, ſeruetur, Deo ſupplicabimus, & REGI gratulantes, obſequii noſtri & demisſisſimæ ſubiectionis ſignificatione finiemus. Vos vero, illuſtres, ampliſſimi, nobiliſſimi Auditores, fauete animo & lingua, & quum bona verba præibo, ſequimini cogitando quæ boni ominis ſunt, & ad ſalutem REGIS atque reipublicæ conducunt.

Bene eſt, Auditores, curæ adhuc ſumus cæleſti prouidentiæ: audiuntur vota noſtra, & abeſt tantum, vt preces infructuoſæ fuerint, vt etiam maiora Deus & mirifice præſtantiora dederit, quam vel ſuperiori anno, vel vllo alio, precati fueramus. Saluus enim eſt REX optimus maximus: ſalua REGINA ſereniſſima: ſaluus REGVM FILIVS, princeps florentiſſimus iuuentutis: ſalua, felix, pacata respublica, & omnia optatiſſimo curſu, ſine offenſa fortunæ, adhuc ita feruntur, vti tot annis ferri, & rebus adferre felicitatem vidimus. Neque æquabili tantum curſu fortunæ vtimur, ſed longe feliciori quam antea, quia maiora illuſtrioraque hoc anno ſunt, quæ cælo imputemus, quam vel vnquam imputare eidem & accepta referre ante ſolebamus. Summa enim noſtra ſunt omnia, dum ſummo rerum humanarum loco, & in felicitatis

faſtigio

faſtigio conſtitutum EVM videmus, qui nos regit, qui tuetur & defendit: & maior quoque eſt felicitas noſtra, pax & otium magis ſecurum, vt tam tranquille liberalibus noſtris ſtudiis vacare nobis liceat, quam ſecure alii arant, nauigant, ædificant, aut quamcunque artem ac opificium exercent. Vnde vero hæc publica ſalus eſt, hæc felicitas incomparabilis? Ingratiſſimi mortalium eſſemus, niſi ad auctorem, a quo accepimus, grata piaque mente referamus. Quod enim præſtabilius, quod pulchrius eſt munus Dei immortalis, quam pius, fortis, felix ac benignus REX ſiue PRINCEPS? Et, ſi adhuc dubium fuiſſet, vtrum forte ac caſu rectores terris, an cura Numinis ac prouidentia darentur; REGEM tamen noſtrum diuinitus conſtitutum eſſe liqueret. Fingite, Auditores, humanis rebus Fortunam dominari, & ſublimi ſedentem ſolio pro libidine verſare ac volvere res mortalium, & qualem quisque ſortem ſtatumque habeat, illius eſſe iurisdictionem. Hanc vero, qui ita ſentiunt, quod vna mobilem fingunt & maxime inconſtantem; videri quidem poſſent quæ turbantur, peruertuntur, ab illius ingenio eſſe: ordinatiſſimam autem conſtitutionem rerum publicarum, earumque ſtabilitatem, firmitudinem, incrementum, felicitatem tam fallaci, verſatili ac titubanti, ſi quod eſſet, numini nequaquam vindicare ac tribuere poſſemus. Pulcherrimus ordo rerum, & harum moderatio ſapientiſſima, fortiſſima tutela, & in maius ac me-

lius amplificatio; hæc, inquam, ab æterna ſapientia cæleſtique præſidio ſint neceſſe eſt. Iam vero ſi oculos per Germaniam noſtram, ſi etiam per finitimas regiones circumferimus, non videmus Regnum aut Principatum aut Rempublicam eſſe, quæ diuinæ curæ ac prouidentiæ & plura & clariora ſigna habeat, quam Regnum Boruſſiæ, Electoralis Marchia, & reliquæ Brandenburgenſes Prouinciæ præ ſe ferunt. Romam veteres ex parua magnam & Orbis dominam factam mirabantur: ſed tamen Regnum per ducentos quadraginta tres annos, & aliquamdiu etiam conſularis Reſpublica vix quindecim millibus paſſuum ab vrbe proferri potuit. Res autem Brandenburgicæ, mediocres a Maioribus relictæ, intra octoginta abhinc annos incrementorum tantum benignioribus fatis & cæleſti prouidentia ceperunt, vt pæne continuo proceſſu ab Eſtoniæ finibus atque Lithuaniæ per Germaniam, quam longa eſt, ad Geldrios vsque & Batauos extenſæ proferrentur, tantoque nexu inter ſe & firmamento ac robore conſiſterent, vt ex eo tempore, quo primum coaluerunt, contra quemuis hoſtilem impetum, ſuo tutæ præſidio, ſine auxiliis externis, & tueri ſe, & pacem ſibi iuſtam reddere ac vindicare, redditamque conſeruare valuerint. Quod niſi a Dei nutu ac beneuolentia ita factum curatumque eſſe intelligamus, non tantum inſcitiæ rerum crimine, ſed deteſtandæ nos etiam impietatis adligaturi ſumus. Deus condidit imperia, Deus

fir-

firmat, ſtabilit, ſuſtentat, & illius arbitrio hæ oriuntur reſpublicæ, adſurgunt, creſcunt in immenſum: illæ contra cadunt, aut exuuntur ornamentis, quia his Deus benefacit, quibus virtus curæ eſt & iuſtitiæ exercitatio; ſequiores caſtigat, adfligit, &, ſi pergant male agere, tandem delet ac euertit. Huius ergo benignitati debemus, quod annis ſuperioribus res Brandenburgicæ acceſſionibus tantis, & miranda felicitate non creuerint modo, ſed ad ſtabilitatem etiam, ad robur & firmamentum iam ita ſint perductæ, vt nullam vim hoſtium metuant, & non modo ſibi ad tuendam pacem, ſed vicinis etiam ſufficiant, idque tanto magis, quanto Regia auctoritas maieſtasque, quam nuper Deus contribuit, validior potentiorque eſt, vt quæ ſecuritatis ſunt & publicæ tranquillitatis, per ſe ſola tueatur & perficiat. Quemadmodum vero vniuerſum Deus mundum per ſolem atque ſidera illuſtrat, calefacit, fecundiorem reddit: ita Reges quoque & Principes in tam celſa ſede collocauit, vt, tamquam beneficum ſidus, quam plurimis benefaciant, eosdem tueantur, &, quantum in ipſis eſt, a ſe neminem dimittant triſtiorem.

Intelligitis nunc, illuſtres & ampliſſimi Auditores, quorſum, quæ dixi natali hoc die, valeant. REX noſter ſacratiſſimus eſt, per quem immortalis Deus tam eximia felicitatis publicæ bona nobis adhuc contulit, &, quod ſperamus ac precamur, in poſterum quoque non minora, ſed, vt

per singulos prope annos sueuit facere, maiora semper auctioraque superioribus conferet. Ipsi nunc cogitate, quam carum nobis, quam venerabile hoc CAPVT esse debeat, a quo diuinitus tam larga ad nos prosperitas defertur: ad animum etiam aduertite, quantum Deo hoc nomine debeamus: qui REGEM saluum esse voluit, vt & nos salui essemus ac incolumes: tantam illi felicitatem concessit, vt ipsius ductu & imperio nos fortunati ac felices quoque redderemur. Vouimus superiori anno, si Deus per insequentem annum hoc sacrum CAPVT æquabili fortuna reipublicæ seruaturus esset, maiores nos gratias, natali redeunte, reddendi voti caussa acturos esse. Adnuit voto Deus, & saluum, felicem præstitit, pro cuius salute precati fueramus: addidit etiam maiora ornamenta, quam precabamur, immo summa addidit, & SCEPTRVM ac DIADEMA REGIVMque NOMEN & MAIESTATEM, quibus nihil venerabilius est, tamquam cumulum suorum munerum, adiecit. O admirandam stupendamque Dei benignitatem! cui prædicandæ quod impares sumus, non cessamus tamen æternum prædicare, &, quum nihil sit quod referamus, nisi laudis & gloriæ præconium; id assidue, id vnice ac perpetuo, deuoti semper atque memores, referamus.

Plinius Secundus Cæcilius dixit, qui distringere Deum votis nollent, non pacem, non concordiam, non securitatem, non opes orare nec honores

sepa-

ſeparatim: ſimplici hæc cuncta voto, SALVTE PRINCIPIS, tamquam complexu omnium, ſignificare. Tantum enim in ſalute ineſt Principis, aut Regis, vt illo ſeruato, cetera omnia, quæ quisquam optare ſibi ac ſuæ poſſit reipublicæ, bene ac recte ſe ſe habeant, & futura etiam ſint proſpera & recta, quamdiu ſaluus & felix ille fuerit. SALVTEM itaque REGIS, per quam plurimæ gentes olim iurauerunt, venerabundi ad explicandum meditemur, vt appareat omnibus, ex illa & noſtram ſalutem pendere, &, illo ſaluo, nos quoque ſaluos ac fortunatos eſſe.

Primam Secundus ex illo SALVTIS complexu atque copia PACEM produxit, cuius & nomen dulce eſt ac ita res ſalutaris & fructifera, vt, matrem ſi non omnium, at plurimorum tamen bonorum qui nominauerit, & æquo Deo iudicet, & omnes bonos habeat conſentientes. Pace quisque poſſidet ſuum, pace agri frugibus abundant, diteſcunt ciuitates, mercatura longe, late profecta fit felicior, & quod caput rei eſt, liberales artes, quæ inter arma oppreſſæ iacent, pace eriguntur, & ſe magis magisque proferunt, iuuentutem formant, vt diſcat virtuti ſtudere, iuſtitiam colere, pacem amare, & beatam aliquando conſtituere rempublicam. Trepidant nunc aliæ gentes ac prouinciæ rumore imminentis belli; nos, poſt Deum, ſalus REGIS noſtri tutos præſtat. Alii, bello proſtrati ſuperiore, nondum erexerunt ſe; nos autem & illa tuti tempeſtate e-

ramus protegente Heroe Brandenburgico. Aliis militum tranſitus incommodat, ſi non infeſtat: at neque nobis eſt facile, quod vel hæc incommoda, quamlibet leuiora, metuamus. Sunt potentiſſimo REGI noſtro tam paratæ copiæ, tam fortis exercitus, vt hoſtiles incurſiones ſuo milite repellat: tranſitum militis alieni, niſi voluerit, prohibeat & intercludat: & quod pulcherrimum genus victoriarum eſt, tantum auctoritate & armorum valet gloria, vt neque velint hoſtes, neque audeant ſi voluerint, aduerſus eius copias pugnare. Non timet bella REX magnanimus; at neque eadem prouocat: quorum alterum fortitudinis eſt, moderationi alterum imputatur. Si quis eo inſolentiæ proceſſerit, vt iram noſtri REGIS, & indignationem mereatur, omnia militi noſtro ſunt prona atque cedentia, neque maiora flumina, nec quod interfluit mare, tueri hoſtem poſſunt, ſed vtraque tergo ſuo exercitum, quoquo tempore tranſeundum eſt, æſtiuo pontibus nauigiisque, hiberno glacie transportant. Tantum fama fortitudinis & Regno Boruſſorum, & omnibus regionibus & prouinciis Brandenburgicis præſtat, vt pace tutæ omnes ſint, bello æque fructibus pacis tranquille ac quiete perfruantur.

CONCORDIAM addit Plinius non minus ſalute Principis aut Regis innixam, quam pacem; nec minus reipublicæ neceſſariam ac ſalutarem. Hæc enim res ſtabilit atque confirmat, & in immenſum, etiamſi paruæ fuerint, auget & am-

amplificat. Diſcordia vero quanta regna, quantas reſpublicas euerterit, non attinet recenſere: plena eius rei monumenta ſunt hiſtoriarum. Ad hanc vitandam, ad illam obtinendam refert plurimum, qua forma aut modo res publica regatur: qui ſaluberrimus omnino eſt, ſi vnius imperio, ſed pii, felicis, ſapientis pareant omnes. Hoc vniuerſum, quod cælum & terram appellamus, conſiſtit concordia & harmonia, quæ niſi eſſet, neceſſe foret vt diſſolueretur ac pereat. Sic in regnis eſt & magnis quibusque rebus publicis. Niſi enim cum prouinciæ inter ſe, tum ſingularum ordines conſentiant, & ad vnum ſua, hoc eſt ad publicam referant vtilitatem; omnia conturbabuntur, & ſalus priuatorum & felicitas communis exſulabunt. Hoc ne vnquam eueniat, prudentia vnius, penes quem imperium eſt, efficitur. Hic ſi ſaluus eſt, ſi pollet auctoritate, vti debet pollere; omnes partes reipublicæ eo conſenſu continet & harmonia, vt bene cuncta conſpirent atque conueniant, & communis vbique vtilitas obtineatur. In quo REX noſter in primis felix eſt, qui mirifica ſapientia ſummaque & Regia auctoritate ita omnia moderatur, vt vbique amica conſeruetur concordia, &, quem neceſſe eſt ſequi, ſtatus tranquillus ac beatus reipublicæ ſequatur.

Et SECVRITAS ex Regis eſt SALVTE ſiue Principis, vt publicæ viæ ſine inſidiis, ſine obſeſſoribus tutæ noctu æque, vt tempore diurno, pateant, quo nihil ſit quod curſus publicos priua-

tosue turbet, nihil quod impediat. Nec itinera tantum sunt tuta facienda, sed domi, foris sit paritas securitatis, quia fraudes, doli legibus ab agris atque ciuitatibus arcentur, vt quilibet tuto & tranquille possideat sua, suis fruatur commodis & vtilitatibus. Hoc opus Regis ac Principis iusti est, qui quam ipse amat iustitiam, inter suos quoque coli & exerceri imperat, & bonos præmiis inuitat, malos pœnis coercet, vt securitas vbique seruetur & stabiliatur.

Et hæc publica illa commoda sunt, quæ adfert SALVS REGIS, & plura omnino sunt, a quibus recensendis, sequuti Plinium, iam abstinendum ducimus: quæ priuatorum sunt, ab eodem adduntur OPES & HONORES. Omnes intenti sunt, vt sibi suisque prospiciant, & amplificent quæ possidentur, atque ita etiam aliquando heredibus relinquant: id quod haud vbique licet, sed sub bono tantum Principe aut Rege. De Constantio Augusto, Constantini patre, referunt, ipsum MELIVS duxisse, PVBLICAS OPES A PRIVATIS HABERI, QVAM INTRA VNVM CLAVSTRVM RESERVARI. Bene & sapienter. Nam ille Princeps est ditissimus, cui ciues parent opulenti, qui in commune conferunt, quandocumque opus est ad rem publicam gerendam, tutandam; aut seruandum splendorem ac dignitatem imperii. Nam cuius est quidquid est omnium, tantum ipse, quantum omnes, possidet. Quod prudentissimum illud temperamentum est, quo res alibi disso-

cia-

ciabiles, libertas & principatus, saluberrime miſcentur. Horum enim coniunctione inexpugnabile Regnorum ac Rerumpublicarum præſidium paratur, quia libertas amorem Imperantibus conciliat; principatus addit reuerentiam: vnde vinculum videmus necti, quo nihil eſt validius, nihilque firmius in ſtatu publico mortalium. Non enim exercitus, non claſſes ita Principem defendunt ac communiunt, vt amor & beneuolentia parentium. Fruſtra enim terrore ſe ſuccinxerit, qui ſeptus caritate ac amoris veneratione non fuerit. Iam vero quisnam in Europa Princeps amore magis cinctus eſt quam noſter REX clementiſſimus? qui quod ſuis libertatem indulget, ab omnibus amatur, ab omnibus colitur reuerentia, veneratione adoratur. Id enim ſumma virtus ILLIVS, id cæleſtis indoles & Regia beneficentia merentur, quia ſuam ILLE naturam ſuumque ingenium ſequitur, quum imperio ſuo ſubiectis bene facit, quum virtuti præmia ponit, quum honores merentibus decernit, vt iis, qui accipiunt, incitamento maioris virtutis ſint, exemplo aliis ad æmulandum, quo ipſi quoque ſe dignos faciant, ſi quibus honeſtari ornamentis cupiant. Nihil magis virtuti officit, quam deſpectus ac contemtio; nihil altius excitat, quam illius honos & æſtimatio: in quo REGIS noſtri incredibilem ſapientiam miramur, qua id prudentiſſime agit, vt virtus & induſtria cum aliis præmiis non exiguis, tum honoribus maxime, non forte, ſed

iudicio

iudicio datis, repenſentur: quia quas ipſe artes intelligit atque ſtudia, de his etiam ex æquo iudicat, eas æſtimat & honorat, vt quam plurimi ad colendum quod pulchrum & honeſtum eſt, hiſce præmiis inſtigentur, & virtus in Regno, in Marchia, in reliquis Prouinciis propagetur, & ipſa ampliſſimos vberrimosque fructus ad communem vtilitatem adferat. Cognoſcitis ſic abunde, Auditores, quam ſecunda & fertilis, quam multiplex fructibus ſit ſalus & vita REGIS, vt idcirco carior illa nobis vel noſtra ſingulorum ſalute, ex tantis meritis, haberi debeat, quia vis infinita hominum ab illa ſalutem ſuam accipit, & in futuro quoque tempore exſpectat.

O iucundam hanc & venerabilem natalis diei lucem quæ tam cari, tam auguſti CAPITIS ſalutem, benigniſſime adhuc ſeruatam & ſummis ornatam honeſtamentis ac decoribus, reduxit! Albo ſemper hanc lapillo, quoties orta fuit, deſignabamus: nunc autem candidiore vt notemus officium noſtrum eſt, quia illa illuſtrior nobis, multumque ſplendidior ac MAIESTATIS præfulgens radiis, cæleſti prouidentia refertur. Ingentium enim beneficiorum atque munerum, á Deo in ſereniſſimum REGEM; ab REGE in nos omnes profectorum, nos admonet, ac identidem hortatur, vt grata æſtimatione agitemus, & quo decet officio ac pietate recolamus. Maiori igitur religione atque ſtudio hunc diem celebremus, nihil prætermittentes quod ad lætitiam tam

claræ

claræ lucis, & ad obſequium noſtrum declarandum aliquid adferat. Romani olim, obſeruantiſſimi dierum quibus in lucem editi fuerant, a VOTIS auſpicia religionis nataliciæ ſumebant, quæ reddebantur partim concepta ſuperiori tempore, partim noua de futuro concipiebantur. Quibus potius quam nobis, aut quando magis quam hoc tempore idem conuenit, quia, quæ precati a Deo ſumus, eorum compotes facti, & votorum, vt aiunt, damnati, in eo iam ſtatu omnes ſumus, vt nihil prius, nihil antiquius habeamus, quam DEO SERVATORI vota ſoluere, hoc eſt immortales gratias immenſæ eius bonitati agere, habere, & laudis æternæ præconio, quæ ſola nobis facultas eſt, quantum fieri poteſt, referre? Hoc noſtrum cuiusque officium poſcit, hoc ſacra ex votis diei huius obligatio. Qui enim pro ſalute cariſſimorum vota faciunt, eo ipſo fidem ſuam obſtringunt, vt, ſi ſaluos ſuos circumacto anno (quod in natalibus fit) habituri ſint, velint rei votorum eſſe, dum ſoluiſſent illa, hoc eſt præſtitiſſent, ad quod vouendo ſe ante adligauerant. Meminiſtis, nobiliſſimi Auditores, quæ anno proximo, quæ multis ſuperioribus ab immortali Deo hoc natali die precati ſimus, & quibus pactis, & quanta fide, ſi auditurus eſſet Deus, ad vnum omnes promiſerimus, non hoſtiis quidem maioribus, quod Romanis ſolemne fuit, ſed pietate & cultu & veneratione maiori nos facturos eſſe, vt Deo, tot bonis aucti, æternas gratias agamus, & digna Deo, dig-

na Rege, quoad possit fieri, perpetuo faciamus: Hanc tum fidem dedimus: hoc pacto nos obligabamus. Soluendum ergo, quo votorum constricti sumus vinculo: reddendum quod promisimus: Deus laudandus, a quo accepimus: atque ita semper gerendum nobis est, vt illos decet, quos Deus amat, quos magnis beneficiis ornat, & spem plurium maiorumque non dubiam facit, si ipsi non impedierimus. Commemorare hoc loco possem ingentia illa bona, quæ septem hisce annis Deus in serenissimum REGEM nostrum, in vniuersam PATRIAM, in hanc FRIDERICIANAM non parce, sed plenis manibus, quod aiunt, contulit, eademque seruauit, & adhuc conseruat, auget, cumulat; nisi eorum partem (quis enim omnia enarrabit?) supra exposuissemus, & recenti vos, Auditores, teneatis memoria. Mente magis, quam voce, colitur Deus, qua si acceptorum memoriam seruamus, gratior illa quam hecatombe est vel opimæ magno numero hostiæ: & gratior etiam, quam carmen compositissimum vel copiosa & grandiloqua oratio, a quibus sæpe dicentis mens abest longius. Reddituri autem sumus quæ vota debemus, si æterna memoria seruabimus, quæ si pura, si sancta, si pia fuerit, neque laudis monumentum, quod voce ponitur; neque alia honoris & gloriæ insignia prætermittuntur. Illud diuinorum munerum, quod proxime datum, ceterorum apex & fastigium summum; illud, inquam, quod ita incredibiliter

liter

liter magnum eſt, vt maius eſſe non poſſit; ne, quæſo, patiamur ex animo abire, aut minori cura æſtimari: quia in eius doni maieſtate ſalus publica innixa eſt, cuius ſeruandæ, ſtabiliendæ cauſſa nihil gratius Deo offerri poteſt, quam beneficiorum memoria ſempiterna, & digna auctore æſtimatio. Hoc ergo agite, Auditores, & Deo vos gratos memoresque præſtate, quo futurum eſſe confidimus, vt plura eius generis ſequantur, & maiora etiam, ſi quid addi poſſit; ſaltem explanatiora, & in plures diffuſa vtilitates, adiiciantur. Hoc ipſum eſt, quod diei huius lux ſacrata poſcit, quia ſaluus eſt REX FRIDERICVS, & viuit: io viuit, & auguſta felicitate viuit! Io vota & preces! vota omnibus modis fructifera, preces perpetuo ſalutares. Io vicimus, quia habemus quod precati ſumus! Saluus enim eſt REX FRIDERICVS, & nos ſalui & noſtra Academia, quæ ſalutem ſuam, quæ ſpiritum ex ſacro ILLIVS ore trahit & indole. Hoc ſaluo nihil triſte futurum eſt, læta omnia oritura: pax, otium, & felix rerum ſtatus noſtra propria bona & certæ poſſeſſiones erunt. Quæ vt ſint perpetuo noſtræ, heus agite, ſpectatiſſimi Auditores, mecum vota pro ſalute REGIS conceptis verbis facite, ſolemni formula nuncupate, adfigite in Dei, non genibus, ſed æterna & paterna memoria, quæ nunquam obliuiſcitur benefacere, & dare quæ petimus, & cenſum augere beneficiorum. Vota caſte, ſobrie, ſancte concipiantur, ſi audiri volumus, ſi rata

ſi rata fore optamus. Neque enim impurosDeus audit, ſed qui pia grataque mente, quæ dedit ante, æſtimant; quæ daturus eſt,exſpectant. Adeſte omnes boni, digne, rite, caſte pro REGIS ſalute, pro REGIAE DOMVS incolumitate, felicitate precamini, pollicemini, SI DEVS SACRATISSIMVM REGEM SALVVM ET FELICEM, SI REGINAM REGVMQVE LIBEROS ET AGNATOS PROSPEROS ET FLORENTES, SI REMPVBLICAM BEATAM PER ANNVM QVINTVM ET QVADRAGESIMVM SERVAVERIT, FVTVRVM ESSE, VT, CIRCVMACTO ILLO, MAIORES EI AGAMVS GRATIAS, ET TOTI IN LAVDES EFFVSI EX NVMERO FELICIVM ANNORVM AETERNAE BONITATIS MAGNITVDINEM AESTIMEMVS, PRAEDICEMVS, ET POSTERORVM MEMORIAE LITTERARVM MONVMENTIS CVREMVS COMMENDANDAM. Hæc ſumma votorum hoc die ſit, quibus benigne Deus adnuat vt rata ſint & fructuoſa, quo, reuolutis menſibus, ad perſoluendum reddendumque omnes obligemur. Certa ſpes, firma fiducia ſuſtentat, non irritas noſtras preces fore, ſed impetraturas quod petunt, &, credo, plus ac maius, præteritorum exemplo temporum, quam petimus atque optamus,

mus, impetraturas. Quoties enim hoc illuſtriſſimo natali die Deus benigniſſime nos audiit, & plura & cumulatiora dedit, quam petieramus? Num ergo fieri per bonitatem eius immenſam poteſt, quod maiori nunc religione ac ſtudio rogamus, vt neget Deus atque abnuat? Beneficum Numen Deus eſt, dat ſæpius quam negat; nec quidquam negat niſi offenſus, quod abominor. Infinita multitudo hominum in Regno Boruſſiæ, in Marchia quadripartita, in prouinciis ceteris, ampliſſimis ſane & frequentiſſimis, exiſtit, qui idem rogant, idem optant, & votis nuncupatis ſpem honeſtiſſimam confirmant. Hanc firmiorem REX ipſe facit, Princeps Pius, Iuſtus, Sapiens, & Deo ſuo ab ineunte ætate carus. Quapropter grata noſtra vota Deo eſſe, quæ pro tam cari CAPITIS ſalute vnanimi conſenſu ſuſcipiuntur, non eſt vllo modo, quod vel leuiter poſſimus dubitare.

O itaque nimium dilecte Deo, REX feliciſſime FRIDERICE, cui cælum fauet, cui terra plaudit, cui magni populi & voce vna & animo vno deuoti gratulantur, & felicitatis perennitatem a Deo, Deo propitio TVO, non tam precantur, quam ſpe certi iam exſpectant atque impetrant. Lætare, REX, bonis TVIS, quæ Deus dedit ac mirum quantum auxit, & ad ſummum nuper & REGALE faſtigium perduxit. Sit Deus TIBI ſemper propitius, ſemper benignus, vt TVA beneficentia quam plurimi reficiantur.

Nam

Nam TVA, etiam noſtra ſalus eſt, & omnium, qui in Regno T V O, in Prouinciis TVIS habitant, & T E colunt ac reuerentur. Quod enim caput humano corpori eſt, idem, REX, es omnibus ditioni T V A E & mitiſſimo imperio ſubiectis. Ab illo vires & ſalubritas in membra diffunduntur, quæ ſe bene cuncta habent, quoad illud bene valet atque ſaluum eſt. Inde enim lux omnis, ſenſus omnes ſunt & conſilia, quibus,quæ hominis ſunt, reguntur, vt recta ſint, & commoda, & ſalutaria. Ita etiam nos lumine, REX, T V O, illuſtramur, T V A videmus perſpicacitate, T V A cuſtodimur vigilantia, T V O robore defendimur, & quidquid ſumus, quidquid habemus, T V A E mirificæ bonitatis ſummæque erga nos clementiæ, Deo auſpice, cælo ſortunante, beneficium atque munus eſt: idque omnes SALVTIS TVAE fructum, ſicut eſt, grato animo interpretamur, quam tanto maiore ſtudio tuendam cælo commendamus, quanto TVA SALVS eſt noſtra nobis carior. Nam T V A eſt omnibus communis, ideoque plurimi facienda, omnibus exoptanda: noſtra ſingulorum propria, aut priuata perpaucorum; quæ vero nec eſſe poteſt, nec ad breue tempus conſiſtere, niſi communi TVA & publica nutriatur ac ſuſtentetur. Auctor ſalutis TVAE Deus eſt: dux,virtus TVA; comes non diuellenda, felicitas: vnde omnia in nos bona proficiſcuntur, merita in nos T V A, quæ maxima ſunt, effunduntur. Ecce! hæc ſunt lætandi

lætandi nobis, & gratulandi TIBI iucundiſſimum argumentum, eruntque, dum FRIDERICIANA TVA erit, hoc eſt in perpetuum. Macte ergo virtute TVA, macte felicitate, & perge mereri de humano genere, vt gloria TVA illuſtrior in dies oriatur, & fulgorem ſuum in ſeram tranſmittat poſteritatem. Ito, REX, quo virtus TVA, quo ſapientia TE TVA ducit, vt felix ſemper ſis, & ſemper gratulationes, dignas meritis TVIS, audias. Audi etiam, o REX benigniſſime, PATER PATRIAE indulgentiſſime, audi, quæſumus, quæ in FRIDERICIANA nos TVA iam gratulamur, quæ conceptis verbis TIBI apprecamur: quibus ſi Deus adnuerit, quod minime dubitamus; & ſalus TVA & TVA felicitas immoto & valido ſtabilitatis firmamento conſiſtent, & gloria quoque per ſæculorum perſtabit & florebit memoriam. Foue, REX, vt ſoles, quam condidiſti, hanc TVAM FRIDERICIANAM, quæ gloriæ TVAE eſt vnice intenta, deuota felicitati, maieſtati demisſisſimo obſequio ſubiecta. Hæc nunquam de laudibus TVIS conticeſcet, ſed ingenio & litterariis, quæ ponit, monumentis id ſemper aget, ac, vt ſperat, etiam perficiet, vt GLORIAM TVAM poſteritas alat, & ipſa, cui conſecrata eſt, æternitas tueatur.

ORATIO IX.

FRIDERICO,
REGI BORVSSIAE,
MARCHIONI BRANDENBVRGICO,
CETERA.

DE NATALI XLVI
IV IDVS IVLIAS cIↄIↄccII
FELICITER EXORTO,
Dicta.

QVod ſuperiori anno precati a Deo immortali ſumus, quum NATALEM hunc REGIVM conceptis votis atque precibus celebraremus, Deo optimo maximo indulgentiſſimi REGIS noſtri, mitiſſimique DOMINI ſalutem commendantes; eius rei abunde nos conuictos eſſe, & quidquid precati ſumus, diuino conſecutos beneficio, lætabundi hoc NATALI die, Auditores, meditamur. Varius quidem hic annus fuit, & tam luctu & triſtitia, quam bellico tumultu & periculis non leuiter turbatus: quæ vero æterna Dei erga Regiam Boruſſicam Domum eſt benignitas, triſtiora hæc

hæc euentis melioribus pensata sunt, luctus, opimis hereditatibus; belli casus ac detrimentum, victoria expugnato validissimo munimento illustri & clarissima. Quæ vero summa votorum superioris anni fuit, salus & vita REGIS, Regiæque Familiæ incolumitas, ea nunc cælesti munere ita salua habemus atque integra, vt ne maiora quidem aut meliora expetere potuerimus. Quæ omnia ita comparata sunt, vt ad maiorem diei huius religionem ac sanctimoniam nos incitent, iubeantque persoluere, ad quæ solemni voto, quum proximum natalem coleremus, in hoc ipso loco conceptis nos verbis obstringebamus. Meministis enim, illustres & spectatissimi Auditores, nos eo tum voto obligari, vt si Deus sacratissimum REGEM saluum & felicem, si REGINAM, si REGIOS LIBEROS & FRATRES florentes atque prosperos per annum, transactum heri, conseruauerit; futurum omnino esse, vt maioribus hostiis ei gratias agamus, & toti in laudes effusi, ex numero felicium annorum æternæ bonitatis magnitudinem æstimemus, prædicemus, & posterorum memoriæ litterarum monumentis curemus commendandam. Hæc omnia propitio cælo nobis obtigisse, & felicius obtigisse, quam precati sumus, aut vouimus, hereditatum accessione; quis est qui non intelligat? & si recte æstimauerit, quantum bonum salus Regis, & quanta sint cetera, quæ dixi, cæli munera; quis non sentit, ad quod offici-

um præſtandum hac ipſa, qua fruimur, tranquillitate omnes obligemur? REX & REGINA ſeruati: HERES Regni, SPES publica, incolumis: Domus Brandenburgica firma & fortunata: quæ ſane omnia ſunt eiusmodi, vt inde ſalus noſtra, noſtra felicitas pendeat, quia REGE auſpice, duce, defenſore ſumus quidquid ſumus; habemus quæcumque ex liberalitate EIVS accepimus: tuti viuimus, legum iuſtitia non minus, quam potentia EIVSDEM circummuniti. Quod vt ſemper maximi faciendum, ſummaque proſequendum veneratione eſt; ita præcipue his illud temporibus ad animum aduertamus, quibus vndique bella circumſonant, quorum vim & fulmina, qui extrema colunt patriæ Sigambri transrhenani, iam nunc, vt noſtis, grauiter perſentiunt. Quæ vt ne noſtras quoque adflent regiones, REX fortiſſimus ſollicita cura proſpicit, conſiliis, armis, ſuis atque Sociorum, prohibet, id etiam robore ac virtute perficit, vt tutos nos fore, & pace diutius fruituros, omnino, Deo iuuante, ac rege ſaluo exſiſtente, certiſſime ſperemus. Hæc ſunt, Auditores, quæ potiſſimum hoc die cum animo cogitemus, quæ voce geſtibusque exprimamus, quod ita vero agendum ab vnoquoque eſt, vt ad ipſum fontem, cæleſtem bonitatem, referamus, vnde tanta ad nos emanant beneficia: & vt perpetuo manent, votis precibusque procuremus: REGI autem noſtro multum clementiſſimo gratulemur de feliciter exacto quadrageſimo quinto ætatis anno; ceterisque

que maximis bonis, quæ adhuc Deus contulit, & idemtidem auxit, ac mirifice conferuauit, conſtantiam rogemus, &, ſi Deo ita viſum fuerit, perpetuitatem. Diuina illa munera ſunt, non humana ope aut conſiliis parata: ad quæ homines nihil de ſuo conferre poſſunt, niſi vt grato animo excipiant, illorumque auctorem laudent, & vt perſeueret eſſe propitius atque benignus, votis atque precibus, quibus is vnice mouetur atque flectitur, clementiam illius ſollicitent atque implorent. Omne ergo officium diei huius in votis eſt repoſitum, quæ ſi rite perficienda ſunt, non ad futura tantum tempora proſpiciamus, noua munera, aut veterum incrementa petituri; ſed ad illa prius, quæ dudum accepimus, reducamus animum, & quia ex voto accepimus, etiam quæ olim vouimus, rite digneque perſoluamus, poſtquam voti nos reos eſſe, & conſecutos quæ precati eramus, nemo noſtrum, niſi ingratiſſimus, inficiatur. Ea enim liberalitatis natura eſt, vt noua eliciatur, quum ſeruatur veteris memoria; eoque deinceps exſiſtat largior, quo maiores gratias habemus agimusque propter ante accepta beneficia. Itaque ſi prorogari cæleſtem beneficentiam, & in futuros quoque annos proferri volumus; quæ ſuperiori tempore accepimus, ſumma ſane & maxima immortalis Dei munera, ex REGIS ſereniſſimi ſalute in nosmet omnes deriuata; ea, inquam, omnia grato animo penſitemus, & ad auctorem, vnde ſunt, pie deuoteque referamus; quod dum

facimus, non poteſt fieri, quin vere intelligamus, quantum pondus & momentum in ſalute REGIS ſit; eamque idcirco cariorem, quam noſtram, habeamus, quia hæc ex illa eſt, & REGE ſaluo ac felice noſtra quoque ſalus confirmatur, felicitas temporum inſigniter adaugetur. Hæc ſumma noſtræ orationis in Natali REGIS erit: hæc veſtra, Auditores, me præmonente, meditatio: in quo ſi mecum conſenſeritis, verba mea fauſtis cogitationibus proſecuti; diei huius ſolemnitatem, ſi non vt dignum eſt, tamen, vt poſſumus, ita celebrabimus, vt & DEO honorem & officium, REGI obſequium atque fidem, & ſic vtrique, quod debemus, pie, deuote, ac reuerenter exhibeamus.

Quo in ſtatu nunc res Europæ, atque noſtræ etiam ſint Germaniæ, ex fama atque nuntiis, qui quotidie adferuntur, non poteſt quisquam veſtrum, ſplendidiſſimi Auditores, ignorare. Videbatur nuper pax reſtituta eſſe, & vbique terrarum reducta quies ac tranquillitas, poſtquam diuturni temporis certamina Ryswici tandem in Batauis compoſita, & nouis pactis (vtinam quoque firmioribus!) ſecuritati publicæ proſpectum fuit. Vix autem iam cœperant bello vaſtatæ regiones habitari, & cultus reuocari priſtinus, ac commercia liberius exerceri, fructusque pacis adferri ad rempublicam ac communem vtilitatem; quum, ecce, noua & horribilis tempeſtas ex Hiſpania ſeu Gallia potius concitaretur, quæ in Europæ meliores

partes

partes celeriter prouecta, procellis suis ac fulminibus dirum aliquod malum, & communis libertatis periculum minitatur. Cuius auertendi magna spes in incluto Heroe, Magnæ Britanniæ Rege GVILIELMO erat, quæ vero, fatis sublato illo, turbata & grauiter debilitata fuit. Quorsum vero hæc tristia auspicatissimo hoc die adferuntur? Bona verba quidem natali die dicenda, & quæ fausti ominis sunt, vnice facienda esse nouimus: nec vero hæc tristia in præsenti prætermissa velim, vt intelligatis, Auditores, quantum præsidii, erepto GVILIELMO Britannico, in prouidentissimo REGE Borussiæ situm atque repositum sit. Magna profecto res est præstare Regem: qui vt a Numine proximus, ita eidem quam simillimus præ cetero hominum genere debet esse. Vt Deus vero non vni parti consulit, sed vniuersum hoc curat & sustentat: ita & Rex præcipue quidem suis prospicit, vt tueatur; at vero & aliorum iniurias ad se existimat pertinere, easque, si potest, etiam vindicat. Huius sui muneris, diuinitus impositi, REX noster serenissimus probe memor, & vt suis consuleret & aliis etiam auxilium aduersus hostes ferret, cum augustissimo Imperatore Romano, cum Britannorum Regnis, cum Fœderatorum Belgarum præpotente Republica, aliisque Principibus fœdus & societatem iniit, nec iniit modo, sed illico exercitum misit, vt Rhenum inferiorem liberaret: ipse quoque prosecutus iter, vt omnia ex propinquo contueretur, & cum So-

ciis consilia conferret, ac præsentia sua maturaret, quæ interuallis locorum sæpe longius, quam e re publica est, procrastinari vidimus. Felix iter, secunda expeditio, quia bellicorum operum, quæ hoc anno a Sociis aduersus communes hostes suscepta sunt, præcipuum & primum est oppidi natura & arte munitissimi, quod Insulam Cæsaris, vulgo Keyserswærdam appellant, difficilis & longius protracta expugnatio. Hanc sibi REX noster potentissimus popoſcerat, adiuuantibus Belgarum copiis: quod EVM credo felici omine admonitum suscepisse, quia superiori bello eundem locum, itidem a Gallis occupatum, feliciter expugnauerat. Respondit euentus spei REGIS felicissimi, & Regiorum virtute, ac Belgarum auxilio, effectum tandem, vt Galli cogerentur loco, cui incubuerant, salute pacta, excedere. Præclarum specimen in nouo bello virtutis Regiæ, gloriæque Brandenburgicæ, quippe omnes norunt, afuisse ab oppugnatione participes ceteros Societatis; Regios Borussicos ab vna parte; ab altera Batauos obsidionem confecisse. Quodsi tam opimæ primitiæ fuerunt, quantam messem victoriarum secuturam, Auditores, putatis? Quæ sola caussa sufficeret, si ceteræ etiam abessent (adsunt autem quam plurimæ) vt noua & lætiori gratulatione natalem hunc diem prosequeremur, quia ex hoc itinere REGIS, & ex Regiorum militum virtute cognoscitis, quanta spes in REGE nostro non solum patriæ & Germaniæ vniuersæ,

sed

ſed etiam Regnis atque Prouinciis exteris, eiusdem ſocietatis fœdere coniunctis, ſit collocata. Hæc vero ex ſalute REGIS pendet, cuius præcipua cura & meditatio noſtra hoc die eſt, vt vota ſuperioris anni, ſuſcepta pro illa, perſoluamus, & in futurum noua nuncupemus quo Deus feliciſſimum REGEM noſtrum, quem tot egregiis muneribus ornauit, conſeruet ac fortunet diutiſſime, vt virtus EIVS & mirabilis ſapientia bonis præſidio, terrori hoſtibus, & tutelæ ciuibus ſit ac patriæ, ſtabilimento ſuæ Fridericianæ. In Principum Romanorum nummis inuenimus inſcriptos OB CONSERVATIONEM SALVTIS. Hoc non æri aut argento, ſed pectoribus noſtris inſcribendum eſt, vt ſemper nobis lætemur, ſemper REGI gratulemur, Deo autem gratias perpetuas agamus, quod conſeruata ſalus & felicitas ILLIVS ſit, qui ab ipſo Deo tuendæ ſaluti noſtræ & plurium eſt præfectus, & vt velit tueri, ſapientia virtuteque ornatus; vt poſſit etiam, robore & opibus inſtructus & confirmatus. Quisque ſuam ſibi ſeruatam a Deo ſalutem gaudet, etiam infimus priuatorum, qui nihil ad publicum, aut vilem & exiguam adfert operam, ceterum ſibi obſcure, aut lucro ſuæ viuit familiæ. Quanto magis commendata ſit ſalus Principis, immo Regis, qui tot populis proſpicit, innumerabilem vim hominum regit, & omnia ad humani generis ſalutem & commoditatem inſtituit, efficit, atque abſoluit? Vel nouiſſimus noſtri REGIS actus ad-

ſatim cauſſæ habet, cur felicitati eius gratulemur, diuinam benignitatem admiremur. Vnde alii fugiunt exterriti periculo, illuc ipſe properauit, & relicta pacatiore Germaniæ parte, ad fines eius, hoſtili exercitu obſeſſos, contendit, vt Cliuenſibus ſuis terris ſubueniret, ſuasque copias in priſtina virtute, & vincendi conſuetudine, præſentia ſua confirmaret. Longius inde progreſſus Hagam Comitum venit, vt cum illuſtriſſimis Fœderatorum Belgarum Ordinibus de ſumma re publica grauiſſimisque negotiis conferret: vbi exceptus magnifice, ſummisque cumulatus honoribus, inter multas congratulationes iam Natalem celebrat: vnde per Comitatus, quos ex Arauſionenſi hereditate poſſidet, propediem ad Regiam ſedem victor & vndique felix rediturus eſt. Deo duce ingreſſus iter erat, fortuna cæleſti comite abſoluet, tutus a periculis, quæ ab hoſtium acceſſu imminebant; & immunis ab offenſa valetudinis. O TE felicem, REX ſacratiſſime FRIDERICE, qui Deo tuo, cui confidis, ita carus es, vt diuino ſuo præſidio, quocumque eas, TE ducat & reducat: & quidquid agas, fortunet, vt ad optatos exitus perueniat! Huius ſemper confidas numini, vt ſemper eidem carus ſis, ſemper præſidio eius protegaris, ſemper feliciter agas, & perficias quidquid hoc auſpice ſuſcipies, hoc duce adgredieris. Quod votis poſſumus, quod precibus & piis formulis, attulimus TIBI, & pro ſalute TVA Deo ſupplicauimus, qui audiit nos, & votis adnuit, vt nihil

earum

earum rerum desideretur, quas ab eius indulgentia superioribus annis precati sumus. Soluimus ergo, quibus nos votis obstrinximus pro salute TVA: Deum laudamus, bonitatem eius prædicamus, & propitio Numini salutem TVAM in posterum quoque tuendam commendamus. Sed antequam ad noua vota veniamus, commemoranda etiam sunt, quæ Deus abundantissima beneficentia votis nostris, supra quod precati eramus, addidit, quia tanta eius in REGEM nostrum est bonitas atque clementia, vt per singulos fere annos semper plura dederit quam rogatus fuerat, & maiora dederit splendidioraque, quam vel quisquam nostratium optauerat. Notum est, quam arta coniunctione sanguinis serenissimus REX Borussiæ gloriosissimum Magnæ Britanniæ Regem GVILIELMVM contigerit, vtpote Amita huius LOVYSA HENRIETTA natus: neque ignotum est qua laudatissimi REGIS nostri Auus HENRICVS FRIDERICVS, Arausionensis Princeps, Successores suos sanctione obligarit, vt si stirps mascula in suis posteris deficeret, alter sexus aut posteri eius, in possessionibus, quas ipse habuerat, legitime succederent. Ius hinc hereditatis cernendæ nostro indulgentissimo REGI proximum, aut præsens, natura ipsa & nascendi ordo dedit: quod longinquius quidem videbatur, dum Britanniæ Regi eidemque Arausionensi Principi longæuam vitam omnes optabamus: illo autem erepto ex mortalitate, non est

qui

qui potentiſſimum REGEM noſtrum iure poſſidendi anteuertat.

Miramur igitur diuinam beneficentiam, quando sereniſſimæ Domus Brandenburgicæ, nunc Boruſſicæ Regiæ, incrementa maxima cum animo conſideramus. Singularis fortuna populi Romani fuit, tribus regiis hereditatibus locupletati, quod Aſiam ei Pergamenam, Attalus Philometor; Bithyniæ regnum, Nicomedes iunior; Cyrenaicam Pentapolim, Apion Ptolemæus teſtamento reliquerat. Non minus felix eſt Domus Brandenburgica, amplis hereditatum acceſſionibus adeo aucta, vt in Germania noſtra non habeamus, quam cum illa incrementorũ celeritate ac magnitudine conferre poſſimus. Antea Marchiæ quadripartitæ finibus continebatur: omnes ceteræ, quas tenet, prouinciæ & regiones fere intra nonaginta annos diuina ſorte fuerunt adiectæ. Tum enim Boruſſia obuenit, in REGNI nunc apicem euectum & Cliuenſis Ducatus cum Marca & Rauensberga Comitatibus: in quo gradu aliquamdiu conſtitit, iam ſatis potens ſibi viſa, non autem cæleſti fortunæ, quia maiora Deus huic Genti deſtinauerat. Cumulus adferebatur Pomeraniæ vtriusque hereditate: & quamuis citerior pacis publicæ cauſſa conceſſa Suecis fuerit; amplioribus tamen, Ducatu Magdeburgico, & tribus Principatibus, Halberſtadienſi, Mindenſi, & Caminenſi penſata fuit, vt hæ quatuor prouinciæ, ad ſupplendam Pomeraniam datæ, perinde dici poſſint hereditatibus obtentæ, quia pro citeriore Pomerania, quæ

pacto

pacto hereditario obuenerat; vt pax Germaniæ conueniret, sunt acceptæ. Vlterior autem Pomerania, quam longa est, cum Cassubiorum Vinedorumque Ducatibus, eodem pacto in ditionem venit Brandenburgicam: quibus postea, quum ius supremum Borussiæ vindicaretur, Lauenburgum & Butouia cum territoriis suis fuerunt adiecta. His tantisque auctibus diuina nondum benignitas, vt consisteret, adquieuit, sed ineunte nouo sæculo nouum decus, idque summum in rebus mortalium, REGIAM MAIESTATEM cum DIADEMATE adiecit: vt quisque nostrum existimaret, non reliquum esse, quod addi optaremus, nisi eorum, quæ dederat iam Deus, perennem conseruationem. Sed maior est Dei bonitas, quam vt cogitatione metiri ac circumscribere possimus. Citius enim, quam quisquam putauerat, morte gloriosi Britannorum Regis, quæ nascendi ordine quandoque futura videbantur, celeriter præsentia sunt facta; & ius possidendi Arausionensem Principatum, & tot illustres Comitatus atque Dynastias, diuinitus REGI Borussiæ collatum, quod firmum certumque omnino persistet, quamlibet præsenti bello, vel aliis impedimentis, nondum omnia possideantur: quum tamen futurum sit, vt sublatis illis aut compositis, parata & tranquilla subsequatur possessio. Hæc, cordatissimi Auditores, nobis ideo fuerunt memoranda, vt animo agitetis, quanta Dei sit in serenissimam DOMVM BORVSSO-BRANDENBVRGICAM

bene-

beneuolentia, qua factum, vt quum multæ Gentes splendorem suum ægre in hac rerum difficultate conseruent; Brandenburgica per sæculum ferme tot ac tanta incrementa habuerit, & noua idemtidem accipiat: quod vtique propitio fato, seu Deo beneficentissimo, imputandum est. Cui idcirco eo maiores gratias debemus agere, quo propius ex nouissima hereditate apparet, perseuerare illius in hanc DOMVM benignitatem, neque in posterum quoque, si votis nostris & precibus insistemus, ab illa recessuram esse. Nihil enim in nobis est, quod ad REGIS salutem ac continuam felicitatem adferre possimus, quam vouere atque precari; quod gratum Deo officium non infructuosum est: impetrat, obtinet, quod pia mente petitum rogatumque fuerat.

Videtis nunc, quicumque DOMVI REGIAE estis deuoti, & ex iis, quæ diximus, intelligitis, quæ huius diei sint munia atque officia: penetratis in caussas & rationes, propter quas nihil intermittere eorum liceat, ad quæ fide nostra & demississima subiectione omnes sumus deuincti. Qui secus fecerit, aut quæ agenda sunt, egerit negligentius; is iniurius est in REGEM, impius in ipsum DEVM, immemor beneficiorum, quæ accepit, quibus fruitur; ingratissimus mortalium, indignissimus que præsidio REGIS, & innumerabilibus, quæ ab ipso habemus bonis est censendus. Nos vero, deuotissimi Auditores, quibus cordi est salus REGIS & Musarchæ nostri,

qua

qua debemus lætitia & veneratione, hunc diem recolamus, eumdemque ita transigamus, vt nihil cogitemus nisi sanctum & ad cæli expendenda munera accommodatum: nihil dicamus, nisi laudes & gratulationes: nihil agamus, nisi quod ad vota pro REGIS salute tam soluenda priora, quam adsigenda noua quoque pertineat. Censorinus, Romanus scriptor, id moris institutique maiores tenuisse refert, vt natali die munus annale Genio persoluerent. Non est Genius, quem illi colebant, sed qui vnicus generis humani est genitor siue creator, idemque conseruator omnium. Idem est, cuius nutu & auspiciis ante hos quadraginta quinque annos REX serenissimus in tutelam humani generis natus est, & ita natus, vt cælestem indolem, & diuinam sapientiam, ac imperio gerendo idoneam, & eminentem, sortiretur. Huius clementia idem ex tot tantisque periculis, quæ vitam humanam circumstant, seruatus, innumerabilibus bonis, honoribus, victoriis, felicitatibus ornatus, immo cumulatus; & tandem, quod summum est, DIADEMATE auctus, & in REGALE SOLIVM euectus est. Multum est terris bonum Principem nasci: plus, ita educari, vt bene de illo sperari possit: plurimum, talem illum se gerere imperio, qualem optauerant ciues sui, & sperauerant ex indole ac recta educatione. Quam ergo nos felices sumus, qui quod vel patres, vel superstites seniores ominibus faustis coniecerunt, quod postea de PVERO,

de

de IVVENE sperauerunt, id nunc plenissime in serenissimo REGE nostro habemus, & plus ac maiora omnia habemus, quam quisquam tum sperauerat, aut habuerat in votis. Quo itaque cultu, qua veneratione putatis, Auditores, tanti muneris, tantæ felicitatis auctorem prosequendum esse? Gemunt multi sub tyrannis, premuntur ab iniquis dominis; expilantur, vastantur, negliguntur: nos autem sub iustissimo REGE, mitissimoque DOMINO, tamquam benigno adlucente sidere, vitam pacatam tranquillamque agimus. Quantum igitur putamus Deo nos hoc nomine debere? quibus votis ac ritibus censemus eius numen venerandum esse, vt optimum hunc REGEM, clementissimũ DOMINVM nostrum conseruet, imperium eius stabiliat, potentiam corroboret, actus omnes fortunet, felicitatem perpetuam esse iubeat? aut quando magis id facere oportet, quam eo die, qui gradatim per annos singulorum nos Dei beneficiorum admonet? & cui potius, quam huic FRIDERICIANAE conuenit, religiose hunc diem colere, quia & augusti PRINCIPIS, qui condidit eam, & vna ipsius Academiæ natalis est, tanto religionis vtriusque nexu, vt diuelli alter ab altero non possit, neque etiam debeat. Quia enim REX condidit Academiam, eique quasi animam & vitam dedit, idque eodem die perfecit, quo SVI IPSE ortus memoriam sacris cærimoniis recolebat; æquum est, vt vtriusque natalis eodem tempore concelebretur, quia non modo in idem incidunt, verum

alter

alter etiam ex altero originem habet, neque hoc die Fridericiana fuiſſet dedicata, niſi idem magni PRINCIPIS & CONDITORIS fuiſſet vitæ ac felicitatis auſpicalis. Itaque felici eſt ſidere nata hæc Academia; quia natali feliciſſimi REGIS eſt nata: eadem auſpiciis fauſtis & bonis ominibus fuit dedicata, quia auſpicatiſſimo die auguſtæ illæ cærimoniæ inaugurationis ſunt peractæ. Ex quo & illud manauit, vt tam illuſtri & auſpicato die condita, etiam felicitatem CONDITORIS ſui participaret. Percurrite animo quæſo & cogitatione, Auditores, per ceteras, quæ in Germania ſunt, Academias: an vsquam eſt, cui magnis incrementis hoc tempore gloriari liceat? pleræque ſecum bene agi exiſtimant, ſi eo in ſtatu, quo dudum fuerunt, conſiſtere diutius poſſint, quem quædam ægre tuentur ac conſeruant; Fridericianæ autem noſtræ hæc propria & ſingularis eſt fortuna, vt inde ab ortu eius ad hanc vſque lucem nullus annus effluxerit, quo non grandior identidem, grandiorque numerus fuerit adventantium vndique, etiam ex disiunctiſſimis oris ad hanc bonæ mentis ſedem & litterarum omnium domicilium, vt ſapientiæ hic operam dent, eumque doctrinæ apparatum & cultiorem habitum comparent, quo quiſque ſuæ patriæ prodeſſe, & vberiores fructus adferre poſſit ad rempublicam. Longe lateque enim hæc fama peruaſit, & inualuit perſuaſio, a ſapientiſſimo PRINCIPE quæ inſtituta Academia ſit, non poſſe ad ſapientiam

gignendam propagandamque non esse aptissimam, summeque idoneam, vtpote ita ordinatam, vt sine ambagibus, sine impedimentis, quod optimum genus est doctrinæ ac eruditionis, eo loco perfecte disci, & ad vsum transferri facillime possit. Sic gloria, sic sapientia CONDITORIS, Academiæ ipsi existimationem & famam parat: cui ingens pondus accedit, quod quo amore recens natam complexus erat, eodem adolescentiorem fouet, id quod certissimo nuper documento demonstrauit, dum serenissimum clementissimumq; FILIVM, in spemRegni,Electoratus &Prouinciarum genitum, DOMINVM nostrum clementissimum, quem singulis adhuc annis præesse Academiæ voluit, iam nono etiam anno RECTOREM MAGNIFICENTISSIMVM præposuit. Quis non inde cognoscat, & firmiter sibi persuadeat, singularem clementiam atque fauorem sapientissimi REGIS in hanc Academiam perseuerare, qui non solum, quum dedicaretur illa, tanti fastigii Principem RECTOREM dederit, sed in nonum nunc annum eamdem voluntatem seruet, nec obscura præ se signa ferat, eiusdem etiam seruandæ in posterum, & maioribus in litteras meritis identidem confirmandæ. Exsulta igitur, o fortunata Fridericiana, incredibilem REGIS tui erga Musas, tuas an suas? indulgentiam venerare. Bene de futuro spera tempore, quia is signum tibi, idque illustrissimum, ad bene sperandum sustulit. Hoc auspice, hoc seruatore

vige-

vigebis, florebis, & simul fructus vberes & optimos feres ad rempublicam & ad communem vtilitatem. Tantus REGIS amor, tam inusitata clementia te in dies magis atque magis debendi ream facit, vt omni cura & studio in id intentam te esse deceat, quo in laudes tam mitis, tam benefici DOMINI effusa, pro salute tam CARI CAPITIS & vota saepe facias, & soluenda in posterum adfigas. Sic excitasse Fridericianam, Auditores, iam sufficiat. Omnes, omnes, qui eius personam agimus, aut pars eiusdem sumus, aut grati hospites in eius consessum venimus, coniungamus pia vota, & huius diei sacra vno animo, vna voce, & plausu vno rite faciamus, vt ad VNIVS salutem, sed quae omnium communis SALVS est, quidquid dicimus, quidquid cogitamus, conferantur.

Salue igitur lux faustissima, quae saluum nobis REGEM reddit, summe clementissimum, & feliciorem reddit, auctioremque nouis de caelo bonis, ac insignibus victoriae nouis etiam illustriorem. Salue ipse REX serenissime, potentissime, salue benignissime DOMINE. Deus TE amat, qui tot annos TE seruauit, tot ingentibus bonis cumulauit: Deus TE amat, quia in SOLIVM euexit, DIADEMA imposuit: Deus TE semper amet, felicitatem augeat, quia TV amas Deum, &, quae grata Deo sunt, facis, iustitiam colendo, ornando virtutum cultores, cohibendo sectatores vitiorum. Ecce caelum TIBI

fauet, reducens vitæ NATALEM nouum, & multo splendidiorem, quam quo vitam primum & cæli lucem accipiebas; quod ille dubiam fortunam præ se ferebat, hic certissimam confirmat felicitatem. O nimium dilecte Deo, cui æther fauet, cui fortuna militat, cui applaudit alma faustitas! Cælestem consensionem sequuntur quotquot in terris virtutem æstimant, sapientiam honorant, & in pretio habent litterarum studia, quæ ad virtutem & sapientiam instituunt. Ideo TIBI omnes gratulantur: TVAM admirantur felicitatem; potentiores societate TVA gaudent, amicitia gaudent: sequiores, clementia TVA & præsidio delectantur. Vides hoc die, REX, quam omnes gestiant saluti TVAE gratulari: audis, quanta vis hominum in bona verba, in faustas acclamationes se effundat, qui certatim id omnes agunt, vt quisq; optima hoc die, & maiora, si quid addi possit; saltem diuturniora, immo perpetua TIBI & REGIAE DOMVI TVAE precentur, precesque conceptis votis obsignent, quo certius impetretur, quod precati sunt, quia ea vis votorum, volente Deo, & ea efficacia est, vt nunquam illa sint irrita aut infructuosa, sed obtineant vel ipsum, cuius ergo suscepta erant, vel melius isto, vtiliusque, sic fortunante Deo, consequantur. Nos in ista felicitate TVA bonitatem Dei veneramur, &, quas possumus, habemus agimusque gratias, & æternum habituros nos obligamus, quod votis superiori anno factis tam benigne adfuerit, vt non solum TE saluum

&

& incolumem cum florente DOMO REGIA habeamus, sed addiderit etiam supra bona, quæ voueramus, vt maior copia nobis laudum diuinarum esset; &, quod ad TE attinet, duplicatæ gratulationes essent. Christianorum veterum, quod ex Tertulliani formula intelligimus, hæc olim vota erant, quibus Romanos tum Imperatores, quamuis alienos a sacris suis, cum semper, tum singulari deuotione solemnibus diebus prosequebantur: vt Deus illis det VITAM PROLIXAM, IMPERIVM SECVRVM, DOMVM TVTAM, EXERCITVS FORTES, SENATVM FIDELEM, POPVLVM PROBVM, ORBEM QVIETVM, ET QVAECVMQVE HOMINIS ET CAESARIS VOTA ESSENT. Quanto potius Tibi, REX, sacris melioribus initiato, moribusque imbuto sanctioribus, hæc omnes animo puro, officio sincero, & subiectissimo obsequio precamur, vt TE seruet Deus, vitam TIBI det longæuam, imperium securum, Domum tutam & florentem, exercitum fortem & semper victorem, Ministros fideles, populum probum, quietum Regnum & Prouincias, & quæcumque REGIS & Christiani PRINCIPIS sunt vota & desideria. Hæc nos TIBI, REX optime, precamur: hæc Deus audiet atque præstabit, vt cum REGINA serenissima, DOMINA nostra clementissima, & cum FILIO, PRINCIPE IVVENTVTIS, Herede Regni & Electora-

tus, DOMINO itidem & RECTORE nostro clementiſſimo, & cum vniuerſa DOMO REGIA, ſis ſaluus & felix ac incolumis: & vt tuearis patriam, vincas hoſtes atque profliges, bonis omnibus benefacias, & TVAE cum primis FRIDERICIANAE, vt ſolitus es, faueas, eamdemque ornare, amplificare pergas: quæ gloriæ TVAE dedita, id voce, ſcriptis agit vnice, vt VIRTVTEM TVAM miretur poſteritas, NOMEN TVVM æternitas ſibi adſociet atque conſeruet.



ORA-

ORATIO X.

FRIDERICO
REGI BORVSSIAE, MARCHIONI BRANDENBVRGICO, CETERA.

DE NATALI XLVII.
IV IDVS IVLIAS cIↃ IↃCCIII

FELICITER EXORTO

Dicta.

VT numquam irrita nostra vota, Auditores splendidissimi, fuerunt, quae pro salute REGIS potentissimi, CONDITORIS huius Academiae & DOMINI mitissimi nostri, submissa pietate fecimus: ita vltima, quae superiori anno nuncupauimus, Deo acceptiora, quam quae prius conceperamus, exstitisse, & magnitudo beneficiorum quae consecuti sumus, & illorum non interrupta constantia ac diuturnitas euincit, & nos reos illorum facit, quae vouimus, & ad reddendum soluendumque necessitate sacra nos obligat. Crescit cum annis felicitas REGIS, & in dies ma-

ior illuſtriorque effulget, quod cæleſtis bonitatis documentum eſt, quæ noſtris precibus & conceptis votis non fatigatur, vt quieſcat, aut deſinat benefacere; ſed identidem excitatur ad vberiora quam petimus, & cumulatiora nobis conferenda. Quorum abundantiam nullius eloquentia ita emetiri poteſt, vt tempori huic gratiam ferat, aut materiæ exæquet dignitatem, veſtrasque aures pro exſpectatione oblectet ac demulceat. Iactat enim nunc ſe maxime alacris omnium ac ſtudii plena deuotio, nec operta cogitationum rimari neceſſe eſt; exſtat in vultu vniuscuiusque veſtrum hilaritatis publicæ ſignificatio, & in ſerenis frontibus animorum præleguntur iudicia. Exſultat gaudium, prorumpit lætitia, geſtit vox bona verba proferre, nec intra pectorum latebras patitur auſpicatiſſimo hoc die contineri. Quid moror clariorem lætitiæ confeſſionem? Natalis eſt sereniſſimi potentiſſimique REGIS BORVSSIAE FRIDERICI, indulgentiſſimi DOMINI noſtri, isque quadrageſimus ſeptimus, qui quot annos retro præbet nobis denumerandos, totidem ingentia Dei munera, ſi vel ſolam ſalutem & vitæ incolumitatem reſpicimus, cui innumera alia cohærent, in memoriam nobis reuocat. Non capit hic dies, quamlibet auguſtiſſimus, æternæ bonitatis abundantiam, quæ per tot annos ſemper largius copioſiusque in ſacratiſſimum noſtrum REGEM ſeſe diffudit, vt quolibet natali redeunte maiorem illuſtrioremque lætandi gratulandi-

que

que habuerimus materiam. Videbatur a biennio præclusa crescendi & maiora proferendi conditio, quum in Regale fastigium serenissima DOMVS BRANDENBVRGICA propitio Numine euecta fuit, vt nihil superesset, quo adscenderet eadem, summamque, quam consecuta fuerat, augeret & ampliaret dignitatem. Verum enim vero quum non maius sit, nec difficilius, dare quod summum est, quam illud ipsum in fastigio suo conseruare, ac gloriæ, tanto apice dignæ, alimentum perpetuum, felici rerum omnium successu præbere; quis inde non intelligit, quantum cælesti Numini debeamus, cuius benignitate factum, vt Regium Maiestatis culmen non modo firmatum & inconcussum perstet, sed gloria etiam processu temporum crescat, & ab annis vires ac incrementum capiat, longiusque in dies incomparabili virtute ac illustrissimis victoriis proferatur? Quæ omnia pio & hilari animo meditari cui magis conuenit, quam huic Academiæ Fridericianæ, cuius id proprium munus est, gratulando laudandoque CONDITORIS sui magnitudinem concelebrare? aut quando magis ei conuenit, quam hoc die & anniuersario tempore, quod gradatim per ætatis annos accessiones felicitatis & incrementa salutis publicæ recolenda memoriæ tradit, & ad soluenda vota, quæ feceramus, nos excitat atque instigat? Hoc enim officium natali die est, animo & memoria in primam ætatem regredi, & inde vsque repetere, quanta sint illa cæli munera &

ingentia dona quibus sereniſſimus REX per omnem vitam non tam ornatus ſemper fuit, quam mirifice ac excelſisſime cumulatus. Non dies ſufficeret, ſi omnia enarranda, ne dicam illuſtranda, ſuſciperem, quia infinita prope ſunt & magnitudine ſua demiranda. Veſtris cogitationibus, ſummi & illuſtres Auditores, ſuperiora illa relinquo repetenda, & intra proximum me annum continebo, vbi nihilominus tam breui temporis interuallo tantam copiam cum Dei beneficentiæ, tum REGIS meritorum inuenio prædicandam, vt ne his quoque, quod mihi ad dicendum eſt ſpatium, ſufficere vlla ratione posſit. Quare quæ multitudine innumerabilia, & rerum pondere ingentia ſunt atque ſtupenda, in eam ſummam contraho, atque ita ſtrictim comprehendo, vt breuiter enarrem quæ ſuccurrent, non arte oratoria amplificem ac illuſtrem: quia per ſe omnia ita ſunt magnifica atque excelſa, vt natiuo ſuo ſplendore ſatis abundeque coruſcent, alieno colore non indigeant. Vos vero, illuſtrisſimi amplisſimique Auditores, quod huius diei officium exigit, alacriter præſtate, vt Deo ſoſpitatori ſuperioris temporis vota exſoluamus, & noua rurſus pro REGIS ſalute ac incolumitate concipiamus, pari deinceps religione, quum ſe iterum circumegerit annus, in hoc ipſo loco, vti promittimus, perſoluenda. Sic faciemus quod huius diei officium eſt tam Deo gratum acceptumque, quam indulgentisſimæ voluntati REGIS, quod nemo dubi-

dubitat; apprime probatum ac consentaneum.

Quod igitur præcipuum munus est in natalitia solemnitate, id nobis etiam primum iam sit & præstantissimum, salutem REGIS & vitam diuinitus conseruatam expendere ac penitus æstimare. Hanc enim vel solam si dixero, videbor mihi omnia dixisse, quia ex illa manant quæ omnium sunt vota & desideria, vt nihil desit nobis, hanc si saluam habeamus & recte confirmatam. C. Plinius Cæcilius Secundus pro Traiano Capitolinum Iouem rogaturus, Non te, inquit, distringimus votis: non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores: simplex cunctaque ista complexum vnum omnium votum est SALVS PRINCIPIS. Quod si hæc complectitur omnia, in hanc maxime intenti hoc Regio natali simus, quia hæc si vacillaret, neque cetera, quæ suscipimus vota, quidquam nobis prodessent: hæc si valet, viget & vegeta est, omnia se recte habent, feliciter omnia succedunt, domi, foris nihil est quod desideretur nostræ saluti, nostræ tranquillitati, hoc est publicæ & omnium vtilitati necessarium. REGEM saluum habemus; vnice lætemur. REGEM viuacem ac vegetum habemus; omnia speremus. REGEM hilari ac tranquillata mente habemus sine mœrore animi, sine turba macerantium curarum; exsultemus ac Deo agamus gratias. Tanta enim bona, tantam felicitatem nisi ad auctorem referamus,

nius, vnde sunt, indignissimi mortalium erimus, & in Deum non minus, quam in REGEM optimum iniurii. Lubrica res est vita mortalium, & mille periculis casibusque obiecta & exposita: quæ cælesti quidem fato, hoc est diuina prouidentia regitur, cuius vero ita rationes sunt incognitæ & inobseruatæ, vt incerti semper simus, nec confidere in re vlla possimus, nisi in bonitate Dei, cuius arbitrium est & iurisdictio immittere homines in vitalem auram, & exinde rursus educere: prorogare vitam longius, & ad breuiorem summam contrahere. Videmus inde, cordatissimi Auditores, quantum sit Dei munus ac beneficium, indulgentissimum REGEM nostrum ad quadragesimum septimum annum, cuius hic dies auspicalis est, habuisse saluum & incolumem, cuius in salute, tamquam sacro cardine, tot populorum, tot prouinciarum, ciuitatum, societatum, & huius etiam Fridericianæ salus vnice conuertitur, & inde omne suum robur, suam firmitudinem, suum præsidium & dignitatem habet. Tanta & tam innumera bona nos serenissimo REGI accepta referimus: refert ille immortali Deo, cui carus semper fuit, eiusque numine tutus, fortis, felix, sapiens ac potens. Cuius bonitati etiam imputat, quod REGINA est incolumis, quod florentissimus est PRINCEPS IVVENTVTIS, quod vniuersa DOMVS REGIA sine offensa fortunæ agit. Nam & hæc sunt tanta cæli munera, vt plurimum ad ipsius REGIS salutem conferant, & cum ea

sacro

ſacro quodam vinculo coniuncta ſint, quam etiam mirifice augent, conſolidant, redduntque vere Regiam ac numeris ſuis pefectam. Quod ſi hæc ſola meditaremur, ſatis omnino eſſent, in quibus huius diei natalis lætitiam agitaremus: ſed maior eſt beneficentia Dei, quam vt in hiſce hilaritas publica concluſa teneatur. Plura ſuperaddidit bona, quæ vero cum iis, quæ enarrauimus, ita indiuulſo nexu ſunt copulata, vt non poſſint ſeparari, quia ex communi fonte, Dei benignitate, omnia effluunt, & in eumdem etiam omnia, tamquam ad originem ſuam, redundant. Auguſtus Cæſar in votis habebat, ita ſibi ſaluam ac ſoſpitem rempublicam in ſua ſede ſiſtere liceret, vt OPTIMI STATVS AVCTOR diceretur, ſi manſerint in veſtigio ſuo quæ iecerit eiusdem fundamenta. Quia etiam noſter REX ſapientiſſimus eſt AVCTOR STATVS OPTIMI, quia ita conſtitutam, ſanctiſſimisque legibus temperatam rempublicam habet, vt beatior lætiorque in dies illa exſurgat, & vberiores fructus ad communem conferat vtilitatem. Valent leges, ſuum cuique tribuitur, florent commercia, incrementa capiunt ciuitates, nec ruricolæ ſe premi ſentiunt: &, quod caput rei eſt, coluntur ſacra & cuſtodiuntur, litterarumque ſtudia benignius, quam vſpiam, fouentur, vt numquam deſint, qui liberalibus diſciplinis imbuti & ſibi & aliis ad pietatem & iuſtitiam animique moderationem, & ad ceteras omnes virtutes duces ſint, & ſeduli exci-

cita-

citatores. Illa enim demum beata est respublica, in qua quam plurimi bonis litteris operam dant, quibus fit, vt horridi mores mitigentur, & omnis tollatur asperitas, hominesque ad ciuilem vitam, & ad cupiditatum moderationem & modestiam traducantur. Quod id ipsum est, quo sapientissimi REGIS curae atque studia tendunt, qui tot nouas scholas in suis regionibus adhuc constituit, nec desinit statuere, vt vel nostrae ciuitatis Palatina colonia exemplo est nouissimo: nec tribus contentus vniuersae eruditionis sedibus ac officinis, quas a Maioribus suis acceperat, quartam in eadem hac ciuitate Academiam, FRIDERICIANAM SVAM, condidit, magnisque auxit ornamentis, vt vbique paratissimos habeat, qui iuuentutem instituant, quo bonae menti operam dent, & virtutes, ad quas adducunt litterae, ineptis & noxiis rebus, quibus dediti sunt homines, anteferant ac vnice sectentur. Tam ingentibus meritis quodnam praemium a benefico Numine est repositum? idem, quod priscis Heroibus, gloria nominis & virtutis nullis finibus circumscripta, nullis terminanda temporibus, quam ipsa aeternitas aeui sui comitem semper secum habitura est. Graecorum Romanorumque gloria, quae immortalis est, duos fontes habuit, ex quibus emanauit; optimarum artium scientiam, & in bello fortitudinem, armorum excellenti peritia instructam. Ex iisdem hausit gloriosus REX noster, quod in tantum flumen laudis atque gloriae excreuit, vt Orbem terrarum vir-

tutum

tutum fama inundet, nec aliis, quam cæli, contineatur spatiis. Non est huius temporis, superiores victorias & triumphos recensere, quos nulla ætas illaudatos prætermittet: satis argumento sunt quæ nuper parta sunt triumphalia ornamenta: Reinberga capta, Bonna expugnata, Geldria ita arta obsidione cincta, vt propediem illius etiam deditio exspectetur. Pulcherrimum genus victoriæ est, quia incruentum est, sine telorum iactu, ostentato tantum bello, hostes quasi reti concludere, ac terrore cogere ac vrgere ad deditionem. Sic Reinberga, vt dixi, capta est: sic prope abest, ut Geldria etiam capiatur. Vi opus maiore erat ad Bonnam subigendam. Subegit fortissimus Belgarum Heros Cœhornius, sed non suæ gentis solis instructus copiis, verum ex societatis fœdere etiam Borussicis adiutus, quibus etiam suæ partes erant tam in transrhenano castello capiendo, quam in ipsius vrbis munitissimæ propugnaculis deiiciendis, quam & ipsam vno impetu & adsultu haud dubie capturi fuissent, nisi præfectus præsidio, desperata defensione, intra triduum, quam oppugnari cœperat, & se & vrbem, duris conditionibus salute pacta, tradidisset. O miram & acceleratam victoriam, cuius socius & particeps REX noster potentissimus fuit! O præclaram victoriam & REGIS nostri propriam, cum nullis communicandam sociis, qua hostile oppidum, etiam prævalidis munitionibus cinctum, & Cliuensi prouinciæ nimis propinquum, sine pugna, sola obsessione viarum, neque hac ad-

mo-

modum diuturna, ad penuriam rerum omnium, ad desperationem auxilii aliunde aduenturi, ad deditionem denique & ipsum fuit adactum! Quid dicam de excursionibus in Gallicanas regiones, iuste ac fortiter repetentibus, quæ superiori anno per vim & iniuriam Cliuensi populo erepta fuerant? Quanta spes in septem millibus, qui ad superiorem Rhenum, ex castris Cliuensibus egressi, magnis itineribus proficiscuntur? Noua tropæa, nouum triumphum hinc propediem futurum auguramur, quia a multis adhuc annis, Deo fortunante, numquam infructuosa fuerunt arma Borussio-Brandenburgica. Hæc ex bello gloria auspiciis REGIS nostri potentissimi nunc nuper parta: his laudibus certe non solum ipsi, qui fortiter pugnarunt, sed ille in primis, cuius sunt milites, & cuius imperio omnia sua agunt, splendidissime ornatur, eiusque rebus magnus honos & ingens decus adiungitur.

Interest autem magnæ gloriæ TVAE, REX, immortalitate dignissime, vt, quam omnes gentes atque nationes in cælum tollunt, eadem ad seram posteritatem ingeniorum studio & industria propagetur: quod etiam, si quis vmquam alius, amore litterarum TVO & propensa in eruditos omnes voluntate ac beneficentia mereris. Et, si quid de futuris iudicare licet, aut vatum more diuinare, perennem TVAM gloriam fore ex maximis in rem litterariam meritis haud dubius etiam prædico. Fingebatur inter Heroas & Musas olim amicitia, vt illi has defenderent; hæ illorum

lorum facta fortia illustrarent: ideoque vno delubro & Hercules & Musæ ab Romanis fuerunt cultæ, quia Musarum quies defensione Herculis indigeret, & virtus Herculis voce Camenarum, vt ingenio doctissimorum hominum, litterarumque monumentis, quæ ætatem ferrent & perennia essent, æternitati consecraretur. Hoc TVAE Musæ, REX, sine fictione poetica, sed vero argumento, quia TV vere has ornas & tueris, pro viribus TIBI præstabunt, quæ ideo tot ingenia formant, vt idem in posteris faciant, quo nulla ætas de TVIS meritis, & de virtutis TVAE gloria conticescat. Quod enim es REX sapientissimus, ideo sapientiæ fontem, præclaras litteras ac disciplinas, ipse colis & æstimas, & tot scholas alis atque Academias, quo numquam deesse possint, qui REGIAE DOMVS TVAE ac PRINCIPVM BRANDENBVRGICORVM virtutes ac res gestas, TVAS maxime illustriores ceteris, voce, scriptis in seculorum proferant memoriam. Hæc altera seges TVARVM laudum est, nata ex litterarum amore, æstimatione, fortique præsidio: quæ eædem & bellicarum rerum laudes tuentur in præsenti, &, vt æternæ sint, ac cum annis crescant, gratæ mentis pietate perficiunt atque procurant.

Ad Vos reuertor, illustrissimi amplissimique Auditores, vobiscum de officio huius diei nunc propius mihi agendum est. Intellexistis, quæ caussæ nos vrgeant & rationes, vt hunc diem maiori

iori religione concelebremus, quia idem tot tantaque cæli munera & sereniſſimo REGI & nobis omnibus per illum a Deo collata, in animum & memoriam reducit. Seruatus enim REX a periculis: ingentibus ornamentis idem auctus eſt diuinitus: incolumis eſt DOMVS REGIA: ſalua & fortunata respublica: domi pax & tranquillitas, foris victoriæ & tropæa, &, quod ad curas noſtras præcipue ſit directum, res litteraria etiam & liberale noſtrum otium non modo inperturbatum, verum etiam ita quietum & fructuoſum eſt, vt fama eius latius latiusque proueharur, & vndique, ex longinquis etiam regionibus, aduolent atque concurrant, qui exemplum pietatis optimarumque artium hinc ſibi & ſuæ quisque reipublicæ expetant. A primo enim ortu Academiæ in hanc vſque lucem nullus fuit annus, quo non grandior idemtidem grandiorque numerus fuerit aduentantium vndique & confluentium ad hanc beatiſſimam mentis & ſapientiæ ac ſanctitatis arcem, vt meliori doctrina pectus impleant, & ſalubres fructus ferant ad rempublicam tam ſacram quam ciuilem. Dubitatis, Auditores, me, quod res eſt, de incremento Academiæ iam dixiſſe? hanc coronam nobiliſſimorum iuuenum, quæſo, adſpicite, vt verum cognoſcatis: in qua quod TV, PRINCEPS sereniſſime SAXONICAE GENTIS, DOMINE clementiſſime, vt magnum ſidus inter minores ſtellas fulges, & huic Academiæ illuſtri tua præſentia inſigne ornamentum

tum addis, vtique nobis lætamur, tuæque gratulamur erectæ atque excelsæ indoli, quæ non finit TE summo, quo natus es, loco contentum esse, nisi & animum, Maiorum virtute vere generosum, scientia optimarum rerum & imperandi prudentia instruxeris, ac eminenti exemplo huic iuuentuti Academicæ præluceas, quo singuli discant, quam non vanum sit aut irritum, quod sapientissimus Romanorum dixit, studia etiam secundas res ornare, & Gentis gloriam, a Maioribus acceptam, semper reddere nouis nouisque luminibus illustriorem.

In tam felici statu Academiæ, Reipublicæ, Regiæque Aulæ si animo & cogitatione, Auditores spectatissimi, recte ac ordine versamur, nonne id fatendum nobis est, immensam Dei benignitatem esse, vnde tam eximia, tam miranda, & incomparabilia in nos bona proficiscantur, quæ si summatim vultis aut verbo a me dici atque exprimi, vna SALVS REGIS est, ex qua tanta in nos, adnuente Deo, beneficia redundant? Quare quod proprium huius diei munus est, quæ pro salute REGIS anno superiore solemnia vota in hoc ipso loco nuncupauimus, eorum nunc compotes supra, quam voueramus, facti, persoluamus etiam quæ vouimus Deo, vt maiori fiducia felicitatis prorogandæ, pro eadem salute REGIS, quæ nostra nobis est carior, noua vota suscipere, adfigere ac obsignare possimus. Meministis vero, Auditores cordatissimi, superiori anno, hoc ipso die, atque hoc etiam

in loco noſtrum quemlibet, me præeunte, ſe Deo votis obſtrinxiſſe, futurum, ſi adnuerit Deus, dederitque quæ precati ſimus, vt circumacto anno maioribus hoſtiis litemus, & cæleſti bonitati gratias agamus, quod benignisſime præſtiterit, quæ, votis rite factis, animo & voce conceperamus. Præſtitit omnino Deus, quæ tum omnes precabamur: REGEM, REGINAM, IVVENTVTIS PRINCIPEM, & reliquos DOMVS REGIAE præſtitit incolumes ad vnum omnes: domi pacem præſtitit & quietem: foris victorias dedit dignas curru triumphali. Quibus bonis aliisque plurimis qui adfecti ſumus, rei vna votorum ſumus, & obligati ad ſoluendum quæ voueramus. Soluimus autem, ſi grata mente reputamus diuina munera, Deumque auctorem laudibus æternis celebramus. Deo enim REX ipſe ſalutem, vitam, Diadema, Regnum, & quidquid habet, acceptum refert. num ergo nos hæſitabimus eidem referre cuncta, quæ cum REGIS ſalute nobis bona dantur, & ex illa in nos abundantisſime deriuantur? Romani Ioui ſuo varii generis cognomina addiderunt, Statoris, Seruatoris, Soſpitatoris, Depulſoris, Præſtitis, Cuſtodis; falſa omnia Ioui commenticio: vero autem Deo vere a nobis in laudis profesſionem attribuuntur. Hic enim Seruator vitæ eſt & omnis proſperitatis: hic Stator noſtrorum bonorum, vt permaneant conſtanter: hic Soſpitator, cuius omnes ſpiritu ſumus ſoſpites ac ſalui: hic quoque Depulſor

eſt

eſt malorum omnium: Præſtes eſt idem, quia præſtat tuta omnia ac ſalubria, & præſtitit ſemper, quæ votis noſtris pro REGIS ſalute precati fueramus. Cuſtos idem eſt vigilans & Defenſor fortis, his præſertim temporibus, quibus vndique bella circumſonant, quæ profligat Deus, ne propius ad noſtram pertingant patriam. Huic ergo Deo vere Optimo Maximo, huic Seruatori, Præſtiti, Cuſtodi ſoluamus, quibus obſtricti vinculis ſumus: huic reddamus, offeramus, quos hoſtias laudis atque gloriæ debemus: huic ſit honor & decus ſempiternum, qui ſeruauit nobis REGEM & REGIAM DOMVM ac fortunam Regiam: qui propulſauit mala quæ imminebant omnia. Tu quoque, æterne Deus, pro eadem bonitate tua, qua humano generi perpetuum benefacis, audi, quæſumus, vota noſtra, quæ noua facimus & nuncupamus pro ſalute REGIS cariſſimi Tibi; hoc eſt pro ipſius & omnium, quos nutu tuo regit, conſtanti proſperitate. Serua, quem tot annos clementiſſime ſeruaſti, quem nuper Diademate & Regio apice decorauiſti, quem ſemper & domi foriſque felicem præſtitiſti. Sis & in poſterum Stator ſalutis Eius: ſis Conſeruator felicitatis: ſis Cuſtos Regni & Prouinciarum; ſis Præſtes omnium bonorum, Depulſor malorum omnium. Sis quoque propitius Academiæ Fridericianæ, quam in decimum fouiſti annum, & ornauiſti, adauxiſti, quod grato animo & pia voce omnes prædicamus. Fac quoque, æternam vt bonitatem tuam

M 3 eidem

eidem ad Vicennalia, & vltra etiam, conserues, vt semper maior & vberior tuæ laudis & gloriæ a nobis extollendæ, materia succrescat, & tam qui docent quam qui discunt, amore tui & continentia cupiditatum pie, sancte, honeste, quod officii sui est, libenter quisque & certatim faciant. Nos denuo fidem nostram tibi obstringimus, si rata habueris, quæ noua pro REGIS capite obsignamus; futurum, vt, vertente anno, maiori ore & religione tuas laudes efferamus, maioresque beneficentiæ tuæ voce, vita, moribus agamus ac semper habeamus gratias.

Hæc vota nostra huius diei sunto, forma simplici ac veteri more, sine ambitiosis verbis, concepta & signata: quia, quæ cum Deo sunt agenda, sine fuco, sine ornatu proferenda sunt, vt candor, fides, & simplicitas iubet, & ipsa huius diei sanctitudo & solemnitas. Hodie REX sacratissimus sacra tractat, Deum laudat, Deo supplicat. Nos decet, obsequii gloria & perpetuæ imitationis laude idem, maxime hoc die, sequi: quæ caussa est, cur semper Genethliaci nostri in sacro magis, quam ciuili argumento sese efferant. Idem dicendi genus etiam Romanis, quamquam auersis a vero Deo, curæ cordique fuit. Plinium iterum audiamus, Traiano ex prouincia scribentem, DEOS se inter vota precatum esse, quo Imperatorem remque publicam florentem & incolumem sua benignitate seruarent. Et anno alio: Natalem (Principis) & se & prouinciales debita religione

gione celebrasse, COMMENDANTES DIIS ET VOTA PVBLICA ET GAVDIA. Cui ipse augustus Imperator respondit: SOLVISSE VOTA DIIS IMMORTALIBVS, TE PRAEEVNTE, PRO MEA INCOLVMITATE COMMILITONES CVM PROVINCIALIBVS, IN FVTVRVMQVE NVNCVPASSE, LIBENTER COGNOVI EX LITTERIS TVIS. En verum & vetus exemplum diei natalis inter sacras meditationes transigendi! quod quum ipse REX, Deo suo deuotus, sed sanctiori ratione quam Traianus, æmuletur; cur & ipsi non Huius pietatem imitemur? Vita sane & virtus REGIS censura est perpetua: ad hanc dirigamur, ad hanc conuertamur, vt non tam imperio nobis opus sit, quam tanto & tam illustri pietatis & virtutum omnium exemplo. Num dubitabimus, æque vt Traianus scripsit, LIBENTER nostra sacra vota & Deo soluta, & Deo nuncupata, LIBENTER, inquam, REGEM nostrum auditurum esse, & ex sacro studio nostro aliquam percepturum voluptatem? Hoc enim ipsum studium REGIS est Pii, Felicis, Augusti: hoc conuenit diei huius lætitiæ & sanctitati. Sacer omnis dies natalis est, quem nihil profanum interpolet, vt sancta castaque religione transigatur. Sacra omnia sunt, id est diuina beneficia, quæ illo die recolantur ante accepta; & quæ præcipiantur spe, vt pote accipienda in posterum.


 Huc

Huc ergo dirigendus animus, ſi digne natalem peragemus: huc cogitationes omnes adferendæ, ad laudes videlicet Dei Seruatoris. Secus qui fecerint, profanant potius huius lucis ſanctitatem, quam celebrant, quia aliena agunt, & indigna nobiliſſimo ſanctiſſimoque diei huius argumento. Nobis vero alius animus eſt, alia in natali hoc religio & reuerentia.

Salue igitur lux fauſtiſſima, auſpicatiſſima, quæ ſaluum nobis REGEM fers & DOMVM REGIAM incolumem, florentem! ſalue ipſe REX ſacratiſſime, potentiſſime! ſalue mitiſſime, benigniſſime DOMINE! Dilectus TV Deo es, qui ad hunc diem TE perduxit ſaluum. Dilectus Deo es, qui tot felicitatibus tuis Diadema addidit & Solium, in quod euectus es, Regale. Deus TE ſemper amet, Solium TVVM confirmet, potentiam corroboret. Seruet menti diuinam, quam dedit ipſe, ſapientiam: augeat, quæ inde eſt, admirandam felicitatem, qua vt MAIORES TVOS omnes antecellis, ſic eosdem etiam longæuitate ſuperes. Suffice, REX, felicitati TVAE, & ſummis bonis, quæ cælo debes ac virtuti TVAE, perpetuo lætare. Six felix in pace, ſis fortis in bellis, ſis iuſtus in iudiciis; ſis benignus adflictis & pauperibus, ſis clemens & indulgens omnibus. Deus audiat, quæ pro ſalute TVA, pro REGINA, pro PRINCIPE IVVENTVTIS, pro vniuerſa DOMO REGIA magno

con-

consensu precati omnes sumus, vt lætiores vndique successus rerum habeas, & pluribus maioribusque bonis, quam vel optare vel cogitare animo possumus, TVA REGIA DOMVS circumfluat. Non infructuosæ possunt preces innumerabilium esse hominum, pro salute TVA, hoc ipso die, Deo, quem colis, supplicantium: non irrita vota, legitime ab omnibus nunc suscepta, consignata, & memoriæ caussa adfixa. Erit circumuoluto anno dies hic splendidior, & semper lætior illustriorque recurret, quo per annorum futuram seriem felicitati TVAE semper gratulemur, sicut nunc ad vnum omnes faustis acclamationibus votisque conceptis ac precibus TIBI, REX OPTIME, & virtuti TVAE ac felicitati gratulamur, Deumque rogamus, vt perpetuo sic possimus gratulari, & pluribus annis, quos idem Deus TIBI augeat, nouum iterum nouumque & aliud ex alio laudandi & gratulandi argumentum habeamus.



ORATIO XI.

FRIDERICO, REGI BORVSSIAE, MARCHIONI BRANDENBVRGICO, CETERA.

DE NATALI XLVIII

IV IDVS IVLIAS cIɔIɔccIV

FELICITER EXORTO

Dicta.

SAlui ſumus, lætemur Auditores, quia REX noſter indulgentiſſimus, quæ immenſa Dei benignitas eſt, ſaluus & incolumis cum SVIS exſiſtit, ſeruatus ex periculis humanæ fragilitatis, a fortunæ offenſione, quæ plures nunc vexat, inconcuſſus. Ardet Europa bello, quo magna Germaniæ pars pæne conflagrauit: colliduntur exterorum Regna & Reſpublicæ: damna mutua terra marique inferuntur, & quæ ſola adflictis leuamento eſt, ſpes euentus melioris ac reparandæ pacis procul a votis miſerorum remota eſt. Nos vero, quum vndique arma circumſonant, pacati

cati ac tranquilli agimus, & quisque imperturbatus suum agit, sua possidet: quæ sane, quod omnibus confitendum, singularis & maxima Dei beneficentia est: a quo si cogitando progredimur, proxime potentissimo sapientissimoque REGI ac mitissimo DOMINO nostro debemus tranquillam & moderatam, qua fruimur, cum vitæ generis, tum fortunarum conditionem. Hic enim consiliis; Hic curis & laboribus non solum prospicit saluti patriæ; sed auctoritate etiam, & potentia, & exercituum robore præstat & perficit, vt arceatur a finibus nostris, quæ alios percellit ac prosternit, bellorum immanis vis atque crudelitas. Neque hoc sine præsentissimo supremi Numinis auxilio & bonitate admirabili, quæ ingens semper in serenissimum nostrum REGEM fuit; quæ a prima ætate mirificis eum dotibus & vere REGIIS exornauit: quæ, postquam rerum potitus est, per singulos annos, gradatim quasi, adauxit bona, & ad summum euexit apicem; & in quartum vsque annum in fastigio illo immotam & firmiter stabilitam, quam benignissime dedit, conseruauit felicitatem. Quam mirabilem Dei in sacratissimum REGEM beneuolentiam, in nos omnes etiam ex Ipso redundantem, nisi omni laude, prædicatione, litteris, monumentisque decorandam censeamus, ingratorum hominum detestabilem culpam non poterimus effugere. Quibus enim potius hoc officium faciendum est, quam Fridericianæ Academiæ, quæ omnia sua ex salute

&

& clementia indulgentiſſimi REGIS munificentiſſimi CONDITORIS ſui accepit? aut quando magis id nobis faciendum, quam hoc ipſo die, qui tam cæleſte Donum terris primum oſtendit, & in vitalem lucem edidit, ac inde vsque religione nos obligauit, vt quotannis reuerentiam noſtram renouemus, ac ſollemnia vota obeamus, exſoluendo ſuperiori tempore concepta, nuncupando noua reddendaque in futurum. Quod quum omnium ſit munus atque officium, quotquot in fide & clientela potentiſſimi REGIS ſunt: ſingulare tamen & proprium id Fridericianæ noſtræ eſt, quæ ſpiritum ſuum ex ſacro ore ſui CONDITORIS trahit, ſalutem ſuam & incrementa eidem debet munificentiſſimo SERVATORI. Quæ etiam hoc lætiori animo id ſibi exſequendum putat, quo non modo honorificentius, ſed quod euentus comprobauit, ſalutarius quoque fuit, eodem die natam eſſe, qui ſereniſſimi CONDITORIS felicisſimus natalis fuerat. Si qui ſunt mortalium, qui ſuperſtitiones dierum faſtorum nefaſtorumque obſeruandas reſpuunt & auerſantur, in iis ego libenter nomen meum profiteor; nec vero infitiari auſim, eſſe vim quamdam inditam ſideribus, quæ, vt in terra naſcentibus manifeſto efficaciam prodit ſuam; ita etiam mirabili diſpoſitione eiusque varietate ad hominum proſperitatem aut ſequiorem fortunam aliquid conferat. Quoniam vero inexplicabiles ſunt nobis aſtrorum rationes, quibus felicitas

tem-

temporum hominibus vel adferri, vel ſaltem ſignificari ſoleat; certiores modi fauſtitatis, quibus bene nobiscum diebus agatur, ſunt in præſentia inueſtigandi, quos etiam hoc natali die, ſi animum aduertimus, inueniſſe videmur, idque haud dubie nobis perſuademus. Illa eſt fauſta dies & proſpera, quam multæ preces, multa & pia vota conſecrant atque commendant, quia hæc numquam infructuoſa ſunt, ſed efficaciora etiam, quam vel cæli feliciſſima adfectio, & ſiderum ordinatisſimus poſitus poteſt conferre. Iam vero ante quadraginta & ſeptem annos prægnans & grauida rerum natura eum PRINCIPEM in Boruſſorum Regio Monte parturiebat, qui primus ex Gente ſua REGIVM DIADEMA eſſet diuinitus accepturus, & primus in patriam terram Regni Chriſtiani inlaturus nomen, inſignia, & ornamenta. Quis autem neſcit, etiam ex loci auſpicatioris omine, illo die fuiſſe maiora vota nuncupata, & fauſtioribus litatum precationibus, quod omnes futurorum non incurioſi præſagirent, eum, qui natus tum erat, PRINCIPEM, magnum incrementum fore celſiſſimæ DOMVS BRANDENBVRGICAE? Adnuit Deus votis atque precibus, præſertim per ſingulos annos repetitis, quos ſemper feliciores, ſi ſuperiora reſpicimus tempora, obortos intelligimus. Hoc itaque auſpicatiſſimo die quod etiam hæc Academia CONDITORIS voluntate dedicata fuit; qui, reputate quæſo, potuiſſet illa feliciore ſidere naſci,

ſci, quam quo natus eſt ipſe REX noſter feliciſſimus? Sidus autem illud non eſt illorum ordinis, quorum motus, leges & ſignificationes priſci Chaldæi tradiderunt, ſed nihil aliud, quam Dei bonitas & infinita clementia, precibus ac votis mortalium, quod miremini, idemtidem excitata, & largius largiusque, vt in ipſum REGEM, ita in OPVS quoque illius diuinum & immortale factum, FRIDERICIANAM hanc Academiam, effuſa. Agite ergo, ſplendidiſſimi cordatiſſimique Auditores, diem illum, quo tanta ſalus REGI ſacratiſſimo, ac multum clementiſſimo DOMINO noſtro, & olim exorta eſt, & hodieque mirandum in modum multiplicata exoritur, & in nos etiam lucem ſuam ſuosque radios repercutit atque diffundit; hunc, inquam, diem piis celebrate votis atque precibus, dicturi nihil, nihil acturi niſi quod boni fauſtique ominis eſſe videatur. Recordemur præterita pio gratoque animo, vt de futuris etiam modeſte poſſimus diuinare, &, quod eſt optimum ſaluberrimumque, ſpe ac fiducia, diuinæ bonitati innixa, præſumere & anticipare. Natalis hic REGIS potentiſſimi quadrageſimus octauus eſt, cuius vt numerus in ſe rotundus eſt & perfectiſſimus, ita perfectiorem quoque ſalutem ac proſperitatem diuinitus ſignificat, quam etiam in poſterum futuram eſſe talem, qualem ſperamus, eo minus eſt quod dubitemus, quo clariora cæleſtis beneficentiæ ex præteritis argumenta non incerto diuinandi modo perſpicimus. Superiori

anno

anno vouebamus, Auditores, vt salus REGIS & REGIAE DOMVS, ac prospera & æquabilis rerum felicitas sine offensione fortunæ conseruetur, quo ita florente reipublicæ statu nostra quoque litterarum studia feliciter coli ac exerceri, & in maius, si fata sinerent, proferri, & ad amplissimos fructus perduci possint. Num vero irrita nostra vota, quæ fecimus; aut preces fuerunt infructuosæ? Impius sit, oportet, qui diuinam non prædicet in hac caussa benignitatem, quam ipse REX hodie deuotus & gratulabundus veneratur. Salua est, quod cælo imputamus, AVGVSTA REGIS indulgentissimi DOMVS: saluum Regnum inter vicinas Poloniæ Liuoniæque concussiones: pacatæ Prouinciæ omnes ditionis Brandenburgicæ: & quæ belli flammis erat proxima, etiam nuper quodammodo ambusta, secura nunc est, vicinæ Menapiorum sedis, qua hostibus parebat, oppidis cunctis ac castellis abhinc biennio expugnatis, nunc etiam, quæ sola hostibus supererat, metropoli Geldria, sola obsidione, sine pugna, sine adsultibus, qui felicissimus belli gerendi modus est, quia sine cruore, sine vincentium vlla iactura est; in deditionem redacta. Sinite me hoc loco, Auditores, præterire, quæ ad Danubium superiori anno, non quidem culpa nostrorum, sed vel eorum, vt fertur, quibus illi auxilio venerant, vel fatali necessitate, meministis accidisse. Moderata tamen hunc ipsum casum cælestis est prouidentia, cuius ea natura est atque indoles, vt

damn-

damna repenset melioribus, & per cædes etiam incrementum prosperitatis adferat: quod, præter alias feliciores pugnas, deditione munitissimæ vrbis Geldriæ, & tributorum ex Gallicis prouinciis exactione, abductis obsidibus confirmata, præclare nuper factum est: & breui post clarioribus documentis ac victoriis, quod vtique speramus, demonstrabitur. Patefacta fortunæ & victoriæ via est: cæsi ad Donawerdam hostes: ex præsidiis suis & munitionibus, deiecti & quod certum argumentum diuinæ vltionis est, ad idem flumen cladem ingentem acceperunt, iuxta quod leuiorem superiori anno intulerant. Vident nunc Germanis non redire priscam virtutem, sed ab illis numquam discessisse: vident Britannis robur adesse insuperabile, nec in Batauis scientiam & animum vincendi desiderari. Breuia sunt latronum gaudia, & qui iniusta bella gerunt, Vindicis Dei vltionem mox sentient: quia iniuriarum auctoribus ad vltimum non sufficit. Vincit tandem melior caussa, quia diuino armata est auxilio: perit fraus, scelus, impietas, quia Deum vltorem sibi aduersarium habent & ad pœnas postulantem. Erit, erit propediem, quo par aut maior victoria ab Rheno superiore, vbi Borussicæ prætendunt legiones, nuntiabitur. Dudum cohortes supplementis integratæ sunt, etiam nouis cohortibus submissis corroboratæ nunc ita, vt non tantum sustinere impetus hostiles, sed superare etiam & profligare valeant. Præsunt nostris egregii Du-

ces: adſunt Socii fortiſſimi ex Britannia, Batauia, Germania: terrent hoſtem magna Heroum nomina, & fulmina bellorum, Scipionum inſtar, EVGENIVS Sabaudus, & Britannus MARLBORVGHIVS: & quod maxime omnino faciendum, Deus ipſe in noſtris præſidiis eſt, quo duce ac auſpice non quidquam eſt, quod æſtiua hac expeditione deſperemus. Ita autem ad ſuperiorem Rhenum REX potentiſſimus ſuas copias miſit, vt cum Cæſariis, aduerſus communes hoſtes, Imperii limitem defendant, vt nec ſuum vtrumque limitem, interiecta Germania, quam longa eſt, disiunctum, præſidiis nudauerit: ſed habet etiam ad Rhenum inferiorem legiones validas, quæ Cliuenſem prouinciam cum finitimis tueantur, ac, vbi opus fuerit, cum Belgis ſe facile coniungant: habet quoque robuſtiſſimas in Regno ſuo Boruſſico, quæ Polonicas turbas ac concertationes obſeruent, ne quid vel ex illa parte res publica noſtra detrimenti accipiat. Sic vero præſtantiſſimæ REGIS copiæ in limites ſunt eductæ, vt hoſtes arceant, pericula propellant, & vndique tranquillitatem patriæ noſtræ confirment ac ſtabiliant; vt tamen propterea interiores prouinciæ nequaquam ſuo ſint deſtitutæ præſidio. Sunt in vrbibus munitis, ſunt in caſtellis qui excubent, defendant, milites periti & condocefacti: ſunt in oppidis & agris nouitii, ſine tamen onere ac moleſtia prouinciarum: ex quo ſingularis & admiranda ſapientiſſimi REGIS prudentia elucet. Iunio-

res enim colonos, qui robore & ætate valent, delegit, eisque campidoctores præfecit, qui certis diebus in armis illos exerceant. Hi domi quisque suæ & in patria sua manent, & agrum, vt antea, colunt, aut, qui in oppidis sunt, opificio suo vacant, nihilominus parati omnes, si temporum necessitas postulauerit, vt patriam defendant, & hostiles incursiones prohibeant ac intercludant. Quo fit, dum foris exercitus depugnant, & vincunt, vt interiora quoque Regni & Prouinciarum tuta sint, nec bellorum metu aut fama consternentur facile, nec mercatura, vnde neruus rerum est, turbetur ac impediatur. Hæc enim non excursionibus tantum hostium, sed rumore etiam & formidine, si non tota pessum deiicitur, retardatur tamen & minuitur. Hinc itaque, Auditores, tranquillus est status reipublicæ & prouinciarum: hinc nostrum sacrum otium est & studium litterarum, quod sine turbis, sine impedimentis continuamus libere. Nec pacis fructus apud nos cessant aut minuuntur. Quæ enim maiora exspectabimus quietis præmia? quæ vberiora dona fortunæ? DEVS fecit nobis hæc otia: REX curis prouidis, & sapientia, quam & ipse a Deo accepit, eadem conseruat. Longum est ex illo percensere beneficia REGIS liberalissimi, quæ, in orbem sine quiete redeuntia, contexta eius benignitate, non statis annis aut diebus, sed perpetuo in nos proficiscuntur, sic infinita numero, atque ita commodis suis ampliata, vt numquam obliuionem indu-

ctura

ctura sit vel multitudo omnium, vel gratia singulorum. Vultis, compendio Vos, Auditores, ad fontem adduci, vnde in nos hæc omnia emanent? Præter Deum, cui bona omnia debemus, non possum breuius, nec verius id demonstrare, quam de Traiano suo Plinius Secundus, id, quod omnium vota comprehendat, & quod omnium indigentiæ ac necessitati sufficiat, breuibus verbis magnam summam complexus dixit, SALVTEM esse PRINCIPIS. Salus Principis, salus Regis hæc omnia continet, quæ enarrauimus, & ita fecunda illa ac liberalis est, vt bona sua diffundat latissime, & omnibus benefaciat, suum cuique tribuat, omnibusque sit præsidio, & omnes tueatur ac custodiat. O quam lætus igitur hic dies est, qui principium salutis REGIAE olim attulit, qui toties circumacto anno recurrens semper noua incrementa salutis dedit, eaque adeo maiora & illustriora, quo crebrius ille propitiis fatis ac fauente cælo repetitus fuit! Nullum quidem tempus officio vacuum sit, hoc est diuinorum munerum, Regiæque benignitatis prædicatione: vt vero sunt stati dies, quibus sacra Dei beneficia, quæ æternæ nos securitati transdunt, sollemnius in Ecclesia meditamur; ita vitæ huius ac prosperitatis memoriam prisci mortales natali potissimum die, quoties orbe temporum conuoluto reddebatur, pie grateque recolendam instituerunt. Is enim lætus iucundusque dies est, quo huius nos cæli spiritu frui, & in hac ætheris

luce primum viuere cœpimus: qui, quum de cælo conuersione siderum reducitur, primum viuendi beneficium in memoriam nobis reuocat: & quo sæpius recurrit, eo maior certiorque lætitia salutis est conseruatæ. Hoc summus, hoc infimus agit, & quisque delectatur bonis suis, &, cui debet illa, cælo hostiam laudis, & gratæ memoriæ immolat. Quod si priuatorum natales religione tanta recoluntur; quanto maiori pietate ac reuerentia illorum natalitius dies agendus est, a quorum vita non vnius salus hominis, aut vnius etiam familiæ, sed multarum ciuitatum, magnarumque pendet gentium? Ad rem propius nunc veniamus, & in ipsam arcem caussæ ingrediamur, Auditores. Reputate quæso, quantum bonorum adhuc sub REGE sacratissimo habuerimus, & nunc quoque habeamus: quorum ne numerus quidem a nobis iniri potest. E contrario considerate aliorum, etiam vicinorum in ipsa Germania, conditionem duram atque miseram. Quanta vis hominum nunc gemit, luget, exsulat amissis omnibus fortunis, domo, agris, natali solo; aut si maneat in patria, quantis exactionibus & iniuriis vexantur, opprimuntur? quia quacumque illud Martis fulmen peruaserit, nihil nisi vastitatem & pauperiem relinquit. Nos autem, DEO bene fauente, REGE curis & imperio moderante, omnium, quæ diximus, malorum adhuc immunes, placida rerum quiete & profunda tranquillitate gaudemus. O rem inæstimabilem, & aliis omnibus ante-

anteferendam! Plerique quidem malignitatis humanæ vitio, dum poſſident, minoris faciunt, neque præſtantiam illius boni & vbertatem eius expendunt: qui vero amiſerunt, qui aduenæ, qui exſules nunc opem noſtram implorant; ii vero intelligunt, quanti pretii ac æſtimationis ſit pax & tranquilla rerum poſſeſſio. Quorum triſti & miſerando exemplo, quum ante oculos verſantur, nos ſinguli admonemur, vt cautiores ſimus erga bona noſtra: quæ facile perduntur, ſi minus reuerenter fortunam, a DEO & REGE datam, habeamus. Hic, hic eſt dies, qui nos excitet ad dignam rerum æſtimationem, quæ, quantæ quantæ ſunt, ex ſalute REGIS clementiſſimi in nosmet profluunt. Hic dies eſt, qui noſtra commoda cum REGIS felicitate coniuncta ita demonſtrat, vt nec diſſolui ab illa aut ſeparari vllo pacto poſſint. Si, quod verum eſt, ſentimus; ſi, quod ſentimus, profitendum eſt publice, vtique nos omnes exclamare decet: REGIS SALVS noſtra ſalus: REGIS VITA noſter vigor, & ſpiritus: REGIS FELICITAS noſtrarum eſt rerum ſucceſſio fauſta & incrementum. His vt pepetuo frui liceat, voti quidem noſtri eſt optare, diuini autem arbitrii repræſentare quod optamus: ſicut REGIS ſalus & proſperitas, vnde commoda noſtra ſunt, vnice Deo accepta referenda eſt. A Deo enim Reges ſunt: a Deo illorum fortuna & felicitas: cuius ſolius quoque eſt per annos ſeruare, per gradus augere, & ad ſummum

euectos in fastigio ad perpetuam stabilitatem confirmare. Quod id ipsum est, cuius hic candidissimus dies nos admonet, quem si digne, si religiose, si cum spe magnorum fructuum transigere volumus; maiorum more votis & faustis gratulationibus res omnis peragenda est. Armis certent, fortiter pugnent qui adlecti sunt in militiam: aliud munus togatorum est, qui votis & precibus contendant, vt Deus REGIS arma & SOCIORVM fortunet, & domi quoque prosperitatem, quam dedit, in seros vsque posteros conseruet. De Iano fingunt fabulæ, bifrontem fuisse, siue faciem prætulisse geminam, vt quæ ante, quæque post tergum essent, intueretur: quod ad prudentiam sollertiamque huius regis referunt doctiores, quippe quod ille & præterita nosset, & futura prospiceret, sicut Anteuorta & Postuorta, Diuinitatis aptissimæ comites, vt Macrobius dixit, apud Romanos colebantur. Nihil nobis cum fabulis est negotii: quod vero veteres, cordati homines, inuolucris illis significauerunt, id in vsum iam nostrum transferre non alienum ab instituto huius diei est. Qui natalem diem rite, hoc est ex veterum consuetudine celebrant, hos oportet bifrontes quasi Ianos esse, id est ad præterita æque tempora referre animum, & ad futura prospectare. Lux enim illa, qua nati sumus, repræsentanda est animo, & inde vsque repetendum, quot & quanta beneficia æternum Numen ad præsentem vsque diem contulerit. Si votis, vt

prisci

prisci mortales soliti erant, res peragatur, noua ex iis, saltem de superiori anno, nascetur obligatio, quæ ad soluendum id obstringit, quod voueramus, si compotes illius facti fuerimus. Tum vero ad futura tempora prospiciendum est, & illorum, quam speramus, felicitas votis nouis atque precibus concilianda. Hanc viam ingrediamur hodie, hanc officii rationem, splendidissimi ornatissimique Auditores, nunc vnice teneamus. Ad natalem non vnius e multis, sed potentissimi REGIS & indulgentissimi DOMINI submissa deuotione reflectendum, eoque vires mentis ac ingenii conuertendæ. Longum foret, voce ac verbis repetere, quæ adhuc sunt sparsim dicta de superiore anno & longinquiore tempore, quo Dei benignitate sacratissimum REGEM seruatum, mirificeque ornatum & auctum memorauimus: neque attinet iterare, quanta bona ex REGIS salute ac felicitate in nos profecta fuerint, & etiamnum proficiscantur. Otium, pax, & tranquillus rerum status in finibus nostris florent, quo tempore alios, non ita longinque remotos, vis Martis perculit, exhausit, disiecit, exsilio ad incitas redegit, vrbes euertit, agros vastauit, ac tristem squalidamque faciem cultissimis paullo ante regionibus induxit. Meministis hæc ipsimet Auditores, sine nostra repetita suggestione. Non autem officiorum multitudine distinemur: absolui res, hac ex parte, perpaucis potest, memoria & prædicatione. Vouimus superiore anno, si Deus adnu-

erit votis noſtris, maioribus nos victimis rem ſacram hodie facturos eſſe. Victimæ, laudes Dei ſunt: eæque tanto maiores, quanto ſinceritate conſtantiores; vt maximæ omnino ſint, quæ perpetuæ in animo & memoria ſeruantur. Votorum rei ſumus, quod nemo negat: neque nexu illorum ſe quisquam ſoluet, niſi laudando Deum, & gratias agendo: idque non voce tantum, quæ præterit ac vaneſcit; ſed æterna beneficiorum memoria & prædicatione. Hoc ſi digne & conſtanter perfecerimus, planior nobis ad alterum quod reſtat, paratiorque via patebit, quod futura ex præteritis ſunt metienda, & fundamentum ſpei ex ſuperioribus repetendum. Speramus meliora, neque id vanis auguriis inducti, ſed non dubiis de cælo ſignificationibus confirmati. Qui tot annos votis noſtris fuit propitius, num dubitamus, eadem in REGEM & DOMVM REGIAM voluntate fore, ſi in vota noſtra vocauerimus? Obligant nos vota noſtra: obligat ſe ipſe nobis Deus, & ad bonos, quæ vouentur, ducit exitus, ſi hoc munus caſte, ſi pura mente adgrediamur, & Genio REGIAE MAIESTATIS merum, id eſt integrum, ſincerum, non mixtum adſectum animi libemus. Deus, cui vitam & ſpiritum debemus, Genius ille eſt, cuius in tutela, vt quisque natus eſt, exſiſtit, viuit, ac mouetur. Hoc propitio, Genii quoque minores, & miniſtrantes Spiritus, REGI omnino præſto adſunt, ſingulis mortalibus adpoſiti cuſtodes & defen-

defenſores: qui quamuis minus ſunt conſpicui, omnium tamen agendorum excitatores ſunt & adiutores, actorumque ſpeculatores atque teſtes. Hi indiuulſi comites adſunt illis, quos caros Deo eſſe non neſciunt; & domi cum illis ſunt in pace & in republica: cum illis exeunt in ſeceſſus, peregrinantur cum illis, ruſticantur, in caſtra proficiſcuntur: pro illis pugnant, & vincunt glorioſe, quippe qui Heroes æque fortiſſimi, vt ſanctiſſimi ſunt Spiritus. Hos neceſſario conciliabimus, ſi Deum naſcendi viuendique auctorem atque præſidem propitiauerimus. Hic, hic vocatus non temere, ſed religioſe, ſed caſte, ſed conſcientia teſte, audit, ſurgit, & obuios ſibi ac iniqua in REGIAM DOMVM molientes adgreditur, retundit, percellit, eiicit. Hoc tutore, hoc ſoſpitatore & oritur felicitas quotidie noua, & perpetuo etiam conſeruatur. Quin igitur ſalutem tantam, ante oculos poſitam, adripimus, & votis, quia proſtat, facimus noſtram! Sicuti Romanorum Principum natalibus & milites & prouinciales ac vniuerſus populus ſollemnia vota in futurum nuncupabant, quibus ſe ad lætam gratamque ſolutionem, peracto anno præſtandam, obligauerunt: ſic illos imitati voueamus, Auditores, SI AETERNVM NVMEN, QVOD COLIMVS, SACRATISSIMVM NOSTRVM REGEM DOMVMQVE OMNEM REGIAM CVM REGNO, PROVINCIIS, REPVBLICA VNI-

VERSA, ET HAC ETIAM ACADEMIA SERVAVERIT, VT QVOD TRISTE, QVOD FVNESTVM, ET CVM PRIMIS CALAMITOSISSIMVM BELLVM, QVOD VICINOS VRGET, QVAM LONGISSIME A NOBIS ABSIT, PACIS AVTEM FRVCTVS NOBIS INTEGRI MANEANT, VIGEANT, CRESCANT; FVTVRVM ESSE, VT REVOLVTO ANNO, AVT PERPETVO POTIVS, MAIORES, IMMO MAXIMAS HOSTIAS DIVINAE LAVDIS ATQVE GLORIAE OFFERAMVS, NEC VMQVAM COMMITTAMVS, VT TAM ILLVSTRIVM BENEFICIORVM MEMORIAM OBLIVIO ABOLEAT. Hoc meum præeuntis votum, hæc mea eſt ſententia, in quam iuro: Vos, vos quoque, quod non dubito, dicetis ſinguli veteri formula, IDEM IN ME, ET IDEM IN ME; IDEM IN NOS OMNES RECIPIMVS, SANCIMVS IVRAMVS. Deus audiat, faueatque noſtris precibus, vt ſalus Regia, & felicitas publica cum annis augeantur, maneantque in poſteritatem. Concepta nunc, Auditores, & nuncupata vota ſunt: reſtat vt adſigamus memoriæ, ac litteris conſignemus, quo certa & rata ſint, & nos pietatis officio adſtringant, ſuosque, quos ſperamus, fru-


fructus & REGI, & Patriæ, & nobis adferant vberrimos.

Sic Natalem TVVM (ignosce adloquenti MAIESTATEM TVAM) sic, inquam, celebramus Regium Natalem TVVM, REX optime, REX sacratissime, o magnum patriæ Præsidium, Musarum Spes, Solatium, Leuamentum. Rogamus, supplicamus, vt salus TVA Deo curæ sit, Deo cara sit, nobis semper fructifera & benigna: quæ vtique talis erit, qualem nunc optamus, quia TE REGE saluo, nihil triste nobis eueniet: TE felice, nostra florebit prosperitas. Pax, pax in votis omnium est, credimus, etiam in TVIS. Hanc armis TVIS magnorumque Sociorum consequemur: quia Deus arma Vestra fortunabit, vt ex castris TVIS laureatas litteras, victoriarum nunciatrices, propediem, & dehinc sæpius accipias, & victoriis pax reparetur, victoriisque confirmetur. Gratulamur nunc MAIESTATI TVAE de Natali quadragesimo octauo, id est de salute ac felicitate TVA ad tantum ætatis propitio Dei numine producta: mox de tropæis, de triumphis gratulabimur; quibus noua lux TVAM gloriam collustrabit, & Maiestas Tua splendore nouo effulgescet. Bona caussa, diuina auspicia, virtus TVA militumque, haud dubium nobis augurium euentus dant melioris. Accedunt auxiliares quasi copiæ, preces, vota, gemitus infinitæ multitudinis, quibus quo minus Deus adnuat, ne Orcus quidem impedire pote-

poterit. His & vota noſtra adiungimus, ex animo precantes vitæ TVAE, TVAE Saluti, TVAE Felicitati perpetuitatem. Plus enim virtuti TVAE, qua ſumma dudum conſecutus es, precari a Deo non poſſumus, quam eorum, quæ tenes, felicem, immotam, & perpetuam conſtantiam. Deus TE ſeruet, REX indulgentiſſime; Deus TE ſeruet, quia mereris ita de Patria, de Eccleſia, de Republica, de litterarum ſtudiis: Deus ſeruet AVGVSTAM REGINAM, DOMINAM noſtram multo clementiſſimam: ſeruet IVVENTVTIS PRINCIPEM, DOMINVM & RECTOREM noſtrum MAGNIFICENTISSIMVM: ſeruet omnem REGIAM DOMVM, ADGNATOS REGIOS, & Socios Fœderatosque maximos ſeruet: det imperium ſecurum, Regnum tranquillum & firmatum, Prouincias pacatas, & rerum omnium vberem ampliſſimumque prouentum.

Vnum patere, REX, a Fridericiana TVA adiici, cuius iam vota non annua, vt antea; neque ſimplicia ſunt, ſed, decennalibus ſolutis, Romano more VICENNALIA concipiuntur, quibus vehementer a Deo precamur, vt, qui Academiam, moderante TE, adhuc ſeruauit ſaluam & florentem, etiam altero illam, quod inimus, decennio vſque ad tricennalia vota, & amplius, ſub TVO, REX, imperio, eadem benignitate foueat ac tueatur, quo, ſoluturi per crebra decennia maioribus

bus hoſtiis maiora vota, Deo, quas debemus, agamus gratias; TIBI, REX, ſapientiæ TVAE fructus, cum annis ſemper auctiores amplioresque, gratulemur; nobis vero vtriusque bonitate ac clementia perpetuo
gaudeamus.



ORATIO XII.

AVGVSTIS MANIBVS
GLORIOSISSIMAE PRINCIPIS
SOPHIAE
CHARLOTTAE
REGINAE BORVSSORVM,
MARCHIONIS ELECTRICIS BRANDENBVRGICAE,
RELIQVA.
IPSO REGIARVM EXSEQVIARVM DIE, IV KAL. IVL. cIↄIↄccv
Dicata.

A Deo igitur nihil firmum, munitum, ac ſtabile in rebus humanis eſt, vt ſumma æque ac infima fatorum neceſſitate concutian-

tiantur, neque in faſtigio felicitatis tuto & ſecure conſiſtere liceat, nec ipſa maieſtas, quam populi venerantur, ſit præſidio ſibi & ſtabilimento! O miſeram ſortem mortalium! circumſcriptam naturam hominum, quæ, vt vt magnum aliquid & eximium poteſt producere, æternum tamen ac immortale præſtare nequit! quippe naſcendi & pereundi vicibus ſunt omnia incluſa, nec quidquam certius nobis eſt, quam incertam eſſe viuendi conditionem, & caducum, quod etiam firmiſſimum videbatur. Tam fallaces ſpes noſtræ ſunt, tam fragilis humanarum rerum fortuna, quæ in medio ſæpe ſpatio franguntur, etiam ad apicem perductæ, caſu, quo minime putabamus, in ruinam implicantur. Horreo plura dicere, & ad maximum EXEMPLVM, quod fata heu! kalendis Februariis propoſuerunt, voce flebili, lugubri geſtu applicare: nec vero per officii & pietatis rationes, quod dictu triſte & acerbum eſt, ſilentio licet inuoluere, aut recuſare, quam caſus imponit, auguſtæ REGINAE, clementiſſimæ DOMINAE noſtræ, demiſſiſſima ſubiectione debitam ac neceſſariam laudationem. Laudauimus ſæpe, & prompte laudavimus, ſed viuam floridamque, in ſui admirationem tam ciues quam peregrinos perfectione ſua attrahentem. Nunc vero triſtis & funeſta eſt, quam auguſtis Manibus laudationem debemus: & idcirco difficilior, quod lætitia vocem excitat & promptiorem reddit; luctus & mœror impedit ac retardat. Nihilominus faciendum

dum quod officii eſt, & ſuprema glorioſiſſimæ REGINAE perſoluenda, præſertim quod indulgentiſſimus REX & DOMINVS noſter clementiſſimo mandato ita fieri imperauit. Vtinam vero tanta vis ingenii, & dicendi copia tanta ſuppeteret, vt tam excelſæ REGINAE faſtigio verba paria facere, & veſtræ etiam exſpectationi, Auditores ſummi, dare ſatis in præſenti poſſim. Quotquot enim in illuſtri hac corona vel adſidere vel circumſtare video, non copioſam modo, ſed ornatam in primis & Regio dignam culmine orationem exſpectare intelligo: cuius rei vt mihi gratia fiat, aliique facundiori hæc perſona imponatur, ſi rogare iam non licet, non poſſum tamen vehementer non exoptare. Si enim e longinquo etiam campum, qui laudatori nunc percurrendus eſt, inſpicio; obſtupeſcam neceſſe eſt, & viribus prorſus diffidam, quas ſcio quam ſint exiguæ, & quantum abſint ab eo, vt magnitudinem tam auguſti argumenti capiant. Quorſum enim circumſpicio dicturus, Regia & ſumma mihi omnia occurrunt, quæ nec animo complecti per magnitudinem poſſum, neque verbis, tali faſtigio dignis, illuſtrare. Conabor tamen, quod imperatum eſt, ſubire, & vtcumque vires ferent, etiam ſuſtinebo, quod ipſa magnitudo rei, quæ terruit primum, nunc recte meditanti eſt ſolatio. Quod enim, quæ dicenda mihi, ſumma omnia ſunt, & culmen rerum, quas Orbis habet, adæquant; futurum ſpero, quæ oratorem deficient, vt æque aut magis

magis rerum magnitudini, quam huius imbecillitati imputentur: quamquam nec hanc deprecor, ſed me imparem tantis rebus eſſe, tantum abeſt, vt diſſimulem, vt ſpem veniæ etiam in tenuitatis confeſſione mihi ponendam eſſe confidam. Agite modo, ſummi & illuſtres Auditores, beneuolentia veſtra, quam toties expertus ſui, orationis inopiam ſubleuate, vt hoc lugubre officium glorioſæ noſtræ REGINAE publico Academiæ nomine præſtare, &, quoad fieri poteſt, exſequi mihi liceat.

Quæ ſingula in ſingulis illuſtrium feminarum ſunt magna & admirabilia; in glorioſa noſtra REGINA, quod cæli munus ſingulare eſt, ita conſociata ſunt omnia, vt mens ex contuitu tot luminum hebeſcat, & ægre diſcernere illa, & particulatim conſiderare valeat. Sit vero initium, quod natura conſtituit, ab ortu & natalium ſplendore, quem illuſtriſſimum glorioſa REGINA ſortita fuit. Paternum genus ea antiquitate eſt, vt ad priſcos Romanos, terrarum orbis dominos, originem ſuam referat, & diuturna ſucceſſione demonſtret. Ex Italia enim profectos conſtat, qui Bauariam primum, dein Saxoniam inferiorem obtinuerunt, tantamque gloriam virtutis in Germania conſecuti ſunt, tantamque potentiam, vt in primis & ſummis Imperii Romani Principibus cenſerentur: quam dignitatem non conſeruarunt modo per tot ſæcula, ſed cumulum quoque honeſtamenti & gloriæ addiderunt. HENRICVS

RICVS LEO inter Principes, vt leo in animalibus, ſummus erat & Regia poteſtate: cuius poſteri, HENRICI, OTTONES, WILHELMI, ERNESTI, & alii, in incrementum Domus celſisſimæ nati, quam acceperunt a Maioribus virtutis gloriam, maximis ſuis meritis auctiorem ad poſteros transmiſerunt, e quibus in primis fuit magnanimus Heros GEORGIVS, beatiſſimæ REGINAE noſtræ Auus, cuius filius, NOSTRAE Parens, ERNESTVS AVGVSTVS, virtute tanta, tantisque in patriam meritis fuit, vt glorioſiſſimus Imperator LEOPOLDVS eum dignisſimum cenſuerit, cui Electoralem dignitatem, quæ ſumma in Imperio noſtro & proxima Regiæ ſublimitati eſt, conferret, qua etiam ſereniſſimus iam Filius GEORGIVS LVDOVICVS, Frater REGINAE glorioſæ, eminet, ac in celſiſſima Domo tuetur ac propagat. Si nunc ad alteram originem, ad quam auguſta REGINA per Matrem ſereniſſimam adſcendit, progreſſum orationis facimus, quanta ſupremæ dignitatis inſignia, quot diademata ſe animo & oculis obiiciunt? nihil enim niſi Regium eſt & maieſtate plenum, quod conſpicimus, idque in altiſſimam antiquitatem recurrit. Sereniſſima SOPHIA Palatina, primi Electoris Brunſuico-Luneburgici Vidua, beatiſſimæ REGINAE noſtræ Mater, Britannicorum Regnorum Heres legitima Senatus vtriusque ſententiis eſt declarata; cuius ſum-

mæ dignitatis etiam Posteri participes facti, in quibus & ipsa gloriosa nostra REGINA erat. Auus quoque FRIDERICVS, Palatinus Elector, Rex a Bohemiæ Ordinibus, quibus dignissimus visus est, electus fuit, & magnifice inauguratus: quamquam, vt humanis rebus sæpe accidit, felicitati eius fata obstiterunt. Quid de Proauo IACOBO dicam, qui primus faustis auspiciis tria Regna Britannica, Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ coniunxit, inde Magni cognomine dignissimus? Princeps item pius, iustus, pacificus, summaque sapientia, quæ vel ex eo clarissime elucet, quod coniuncta Regna tanta moderatione rexit, vt ad nostra vsque tempora societas firma & constans permaneret. Magna omnino felicitas, quæ huic Regi non casu aut fortuna contigit, sed summa sapientia, ex litterarum studiis, quibus deditissimus fuit, profecta. Hoc Proauo, Rege Magno, gloriosissima REGINA nostra gaudebat, per quem genus suum ad eam temporum antiquitatem referebat, vt vix Maiores EIVS numerari possint, omnes Reges, omnes auitæ libertatis fortissimi propugnatores. Hæc enim natio illa est, quæ sola, non tantum ex Britannicis, sed omnibus prope Europæis, Romanorum arma repressisse dicitur, semper libera & sui iuris; adeoque Romanorum Britanniam infestans, vt hi non arma opponerent, quibus diffidebant; sed vallis murisque, per amplius triginta millia passuum transuerse ductis, a Caledoniis se & Pictis tutaren-

rentur. Intelligitis hinc, Auditores, incunabulorum REGINAE nostræ gloriam: quam sublimiorem illustrioremque tot Cognati & Adfines faciunt, omnes summæ, id est Regiæ dignitatis. Proxima est Patrui IOHANNIS FRIDERICI Filia, WILHELMINA AMALIA, augustissima iam Imperatrix, & feminarum, quæ viuunt, excelsissima: nec minus Amita NOSTRAE, seu Soror Parentis, SOPHIA AMALIA, Daniæ & Norwegiæ Regina, vxor Regis FRIDERICI III, qui primus virtute ac constantia perfecit, vt Regnum sibi posterisque hereditarium confirmaretur; Mater Regis CHRISTIANI V Dani; & VLRICAE, Suecorum & Vandalorum Reginæ; nec non serenissimi Principis GEORGII, Mariti potentissimæ Reginæ Britannorum; & Auia FRIDERICI IV, qui nunc Danis & Norwegis magna felicitate imperat. Tot Reges Reginasque NOSTRA sanguine coniunctos ex Patruo Amitaque habet, vt Electores, magnosque Principes alios taceamus. Ex altera parte sunt WILHELMVS & MARIA, Britannorum Reges, æternæ nuper memoriæ consecrati: & iam felicissima Regina ANNA, qui omnes cum NOSTRA ab IACOBO Magno, primo Magnæ Britanniæ, id est Regnorum coniunctorum Rege, oriuntur.

Quæ ergo tot Regibus Reginisque proxime cognata est, cum quibus communes Progenitores habet; quam aliam putatis indolem, quod aliud

ingenium, nisi AVGVSTVM & REGIVM, nascendo sortiri potuisse? Sequuntur mores vim natura ingenitam, & quanto illa est sublimior augustiorque, tanto hi quoque præstantiores sunt, & ad virtutis gloriam magis magisque conformati. Comitantur fortunæ bona, Deo rerum moderatore ita disponente, vt magnis mentibus etiam hospitium contingat aptum, in quo habitent, suasque exerceant virtutis operationes: neque alia illis desint bona, quæ magnis rebus gerendis sunt necessaria. Hic vero se tantus numerus bonorum, tanta virtutum multitudo se offert, vt difficilis fiat electio, quia quod præcedat, quod sequatur, propter summam æqualitatem paremque magnitudinem non video. Vbi enim omnia summa sunt, vti erant in REGINA nostra; ibi non datur ordo partium, quæ primæ sint, quæ mediæ aut postremæ. Quidquid benigna Natura habet eximium, illustre, ac magnificum, in vnam NOSTRAM non parce aut sparsim, sed pleno effudit cornu, vt nihil vmquam in principe femina laudari potuerit, quo NOSTRA non excellenter & abundantissime ornata fuerit. Fingunt poetæ, Iunoni, Palladi, Veneri certamen quondam de forma fuisse, eique liti diiudicandæ Parin, Priami filium, tum in monte Ida agentem, electum esse: vnamquamque harum arbitro, quo sibi æquiorem faceret, largiter esse pollicitam, Iunonem, regnum amplum & opulentum; Palladem, sapientiam,

qualem

qualem ipsa haberet; Venerem, formosissimam feminarum. Diuisa sic inter Deas bona, nec vna habebat omnia, quæ daret, sed circumscripta suo limite erant, quæ iudici offerebantur munera. In nostra REGINA nulla fabula locum habebat: res erat verissima, quidquid illi tribuebatur: nec cum certamine possidebat aliarum, quæ omnes cæli & naturæ dotes possidebat, omnibus sui ordinis & sexus bonorum cumulo eminentior. Quod Iuno daret, in Coniuge REGE & ELECTORE habuit, & ipsa principum feminarum prima, etiam REGINA vncta & coronata. Quod a Pallade exspectaret, fausto sidere ingenitum, quum nascetur, institutione ac disciplina auxit, vt diuina fieret sapientia, rerumque aliarum notitia admiranda. Forma vel ipsum Parin permouere potuisset, vt NOSTRAE malum aureum, non Veneri impudicæ, daret. Omnia sic in vnam collata, quæ, etiam in plures diuisa, raro propitium cælum dat. Quæ cuncta, quod fieri non potest, vt vno obtutu contemplemur; nictante quasi oculo ex iis aliud post aliud inspiciemus, quo fiet, vt licet totam serenitatem non capiamus, quas partes tamen complecti possum, excipiam inde, &, si quæ vis orationis est, exponam atque explicem.

Sic nata NOSTRA excelso loco, omnibusque naturæ dotibus ornata, & erectam indeptа indolem, per se ac vi ingenita ad decus, virtutem, & honestatis gloriam adspirauit, nihil sordidum,

nihil humile ac indignum sentiens, omnes mentis cogitationes ad originem illius, quæ ex cælo est, conuertens. Hæc est quam Tacitus NATVRAE BONITATEM dixit, quæ arceat ab illecebris peccandi, in recto animum contineat, ne partem in alterutram declinet. Etsi autem generosa mens sibi ipsa dux & instigatrix est; tamen si sollers institutio accedit, iuuat illa vim insitam, vt magnum aliquid & eximium oriatur, quod tantum virtutis, quantum in hominem cadit, possideat. Sunt enim in iis, quæ animum ornant ac perficiunt, quæ difficulter natura penetramus, præceptis autem ac disciplinæ patent; quo litterarum linguarumque studia referenda: quædam etiam naturæ vim exsuperant, qualis de Deo diuinisque rebus est scientia, quæ fructus fert, qui in omnes virtutes se disseminant, & in laudis gloriæque segetem efflorescunt. Igitur serenissimis NOSTRAE Parentibus id primæ ac maximæ curæ fuit, vt, quod pignus mirificæ indolis a Deo acceperant, sollertia docentium ad summam perfectionem adduceretur, adhibitis præstantissimis viris, qui verum sensum de Deo & Christianis sacris docerent, traderentque quod summo loco natæ Virgini decorum sit, vt inter Aularum auocamenta, vtrimque adblandientia, cursum tamen rectum & æquabilem teneret, & ad propositam a Deo metam se sine offensione proferret. Ad hanc & ceterarum rerum cognitionem multum linguæ contulerunt, Italica atque Gallicana, qua-

quarum nitore beatiſſima noſtra REGINA ab ineunte ætate delectata fuit: vtraque etiam tam ſcite loquebatur, vt natiuus ſermo, non adſcitus videretur. Non autem exiſtimandum eſt, cultiorum linguas gentium nihil præter ornamentum & gloriam adferre. Amplior vtriusque eſt vtilitas, quam vt in ſermone cum hominibus earum gentium, aut iis, qui inter illas peregrinati ſunt, aut linguam aliunde addidicerunt, contineatur; latiſſime per plurima ſapientiæ ac ſcientiarum ſpatia excurrit. Quis enim veſtrum ignorat, Auditores, ſummo ſtudio illas gentes, quidquid ſcientiarum elegantiarumque eſt, non modo coluiſſe diligenter, verum etiam litterarum monimentis, vt pluribus prodeſſent, liberaliter mandauiſſe, & certatim etiamnum ac fideliter mandare? Quidquid ab his gentibus ingenioſe excogitatum, induſtria elaboratum perpolitumque fuit, quod ad ſapientiam & rerum tam veterum quam recentiorum notitiam, etiam ad pietatem ac morum compoſitionem conferat; id glorioſa REGINA, vt cupidiſſima diſcendi erat, in adoleſcentia perlegit, & incredibilem inde ſcientiam diuinarum humanarumque rerum, tam pro animi nutrimento, quod litterarum præbent ſtudia, quam pro oblectatione ſui honeſtiſſima comparauit. Non mediocris hæc pars felicitatis eſt, ita ſapere, ita res noſſe populorum & rerumpublicarum, ita mores variarum perſpexiſſe nationum, vt ſibi quisque conſulere, & in proſperis animum

moderari, in aduersis solatium ipse præbere possit. Felicior autem REGINA nostra fuit, quæ alterum haud experta, in lætiori vsu litterarum adquiescere per ætatem, suumque inde petere oblectamentum, & suam firmare tranquillitatem potuit. Hinc & ceteris virtutibus robur accedit, humanitati maxime, quæ propria hominum cultiorum, eminentiæ Principum singulari est honestamento. Lumina terræ sunt Principes, vt Sol & alia sidera in cælo. Quemadmodum vero nec altitudini Solis, nec fulgentissimæ claritati, neque præferuido calori, quo omnia fouet, vel minimum decedit, quod infima quæque illustrat, & vi sua etiam in subterranea penetrat; sed eo plus inde admirabilitatis habet: ita nec maiestas Principum humanitatis officio deprimitur, sed eleuatur potius, vt ad Solis naturam, quem amulatur, quam proxime accedat. Ex illa etiã benignitus fluit & liberalissima beneficentia, sicut sidera non tantũ lucent, verũ etiã calefaciunt, exsuscitant, conseruant. Qui nouit, quid sit hominẽ esse, & quẽ is debeat imitari; non potest per cælestẽ naturã suam (de cælo enim mens indita) non cælum quoque & sidera beneficiis in alios, humiliores etiam, collatis æmulari: & dum æmulatur, similis fieri cælestibus, & sideream sibi perennemque comparare gloriam. Tanta incrementa virtutis sunt ex animi cultura & recta educatione.

Quod peregrinationes etiam ad perfectionem conferunt, quum oculis subiiciuntur, quæ diuersis locis sunt illustria ad imitandum exempla, qui mores

mores hominum, quæ vita ciuium; quæ contra alibi notantur vitanda & fugienda; mirum, quantum animus, his cognitis & perſpectis, ad virtutem exſuſcitetur: & quæ antea vel natura indita erant ſemina, vel præceptis elicita laudum ſeges, ea citius feliciusque ſub alio cælo ad maturitatem perveniunt. Neque in hac, inſueta ſexui, proficiendi ratione fortuna REGINAE noſtræ defuit, quam, vt vt tenellam, vndecimo ætatis anno Mater ſereniſſima, Sororem, Abbatiæ Malbiſſonii præfectam, & Fratris Filiam, Ducis Aurelianenſis vxorem, ſalutatura, in Gallos ſecum duxit, vbi quidquid in cultiſſima natione illuſtre eſt ac eximium, animo & oculis contemplata, etiam in Regiam admiſſa Aulam, ipſius Regis beneuolentiam, non tam adfinitatis cauſſa, quia ſanguine Vxori Fratris erat coniunctiſſima; quam propter admirabiles virtutes, ex tenera tum ætate elucentes, experta eſt: etiam ab aliis, quacumque tranſiit in itinere iſto, eximio honore, propter eamdem cauſſam, excepta. Nec eſt quod quiſpiam miretur, qui fieri poſſit, vt id ætatulæ virtutes tantas, tam cultos mores capiat. Eſt enim hoc a natura excelſis datum animis, vt annaria lege conſtringi & retineri nequeant, quod derepente ac ante diem illorum virtus emicat. Numerent annos ſuos qui de plebe ſunt: cæleſte ingenium ætatem ipſam antecedit, &, inſtar arboris generoſæ, ſtatim cum planta illius fructus eſt. Id quamlibet rarum ac ſingulare; NOSTRAE tamen cum

primis, aut ante primas & principes omnes, natura fautrice contigit, vt & adolescentula plus saperet, quam vix aliæ ætate robustiori: quia excellentior indoles virtutis amorem cum primis annis profert, & vis ingenii virtutis par est operationi, in quamcumque ætatem etiam inciderit.

Sic culta, sic ornata NOSTRA domum rediit, & quo magis adoleuit, eo maiorem famam virtutis & formæ excitauit, qua summum felicitatis suæ complementum adsecuta est. Hac enim inductus, nec sine cælesti prouidentia, serenissimus PRINCEPS, nunc REX & DOMINVS noster indulgentissimus, FRIDERICVS, Magno tum superstite Parente, quum celsissimam Coniugem ELISABETHAM HENRIETTAM Hassiacam extulisset, expleto luctus tempore, egregiam hanc & incomparabilem SOPHIAM CHARLOTTAM, Brunsuico-Luneburgicam, tori sociam sibi elegit: quo connubio nihil auspicatius, nihilque æqualius feliciusque exoptari potuit. Genus vtrimque par: virtus vtriusque ad summum educta: & quum IPSA esset Principum feminarum sapientissima, conuenienter ei PRINCIPI nupsit, qui sui ordinis omnes sapientia superabat. Hinc idem sensus, eadem voluntas, firmum ac stabile matrimonii fundamentum: hinc mutuus amor, mutua reuerentia, & arctissima coniunctio animarum. Laudent Romani Augusti, & Liuiæ; laudent etiam Traiani & Plotinæ matrimonium, & vtriusque concordiam

am maiorem in modum prædicent: ſed vtrique defuit, quod maximum in coniugio momentum eſt, illudque reddit dulciſſimum, pignus liberorum. Non comparo REGINAM noſtram vel Liuiæ vel Plotinæ, quam ſcio meliorem altera fuiſſe, altera nobiliorem: in eo autem maxime anteferendam cenſeo, quod matrimonii ſui diuinum pignus, Deo fortunante, ſereniſſimum IVVENTVTIS PRINCIPEM reliquit, in quem ſpes patriæ reclinat, in quo MATER reuiuiſcit & vere fit immortalis. Si quid humanitus in auguſto hoc matrimonio deſiderandum eſt, diuturnitas eſt, quam ſolam cæleſte fatum, cetera huic ipſi coniugio maxime propitium, negauit. Nimis felices nobis viſi fuiſſemus, ſi huic Deus muneri ſuo addidiſſet perpetuitatem, vt vetuſtior nexus maiorem in dies non iucunditatem modo, verum etiam vtilitatem maximam adferret. Fuit enim & eo nomine Coniugium hoc fauſtum & fortunatum, quod inter potentiſſimas Germaniæ Gentes, Boruſſo-Brandenburgicam & Brunſuico-Luneburgenſem, firmum & ſtabile fœdus ſocietatemque conſtituit, cuius vinculum amabili ſuauitate ſua, quoad vixit, ſereniſſima REGINA fuit, eritque etiam, vt ſperamus, poſtquam oculis ſubducta eſt, memoria ſui perpetuæ inter vtramque Domum amicitiæ ſtabilimentum.

Neque enim virtutes mors exſtinxit, neque virtutum & gratiarum memoriam, quæ mori neſcia, ab annis vires ſumit & incrementum. Memoriam

moriam REGINA pietatis reliquit, non in speciem & ostentationem, sed intra pectoris cultæ penetralia, quæ nihilominus, vt ignis, latere non poterat, sed per alias virtutes multiplices, quarum parens est pietas, emicuit, & radios quoquo versus splendidissimos diffudit. In primis elucebat suauis & amore non tam temperata quam in dies aucta erga REGEM reuerentia; item cura & amor in FILIVM tenerrimus, quem vt vnicum educabat, ita vnice, hoc est vehementissime dilexit. Nec minori adfectu in FILIAM REGIS, quamuis ex se non genitam, fuit, vt illius partes, in cuius locum successerat, non modo diligenter ageret, verum etiam adimpleret. PARENTES autem serenissimos tanta veneratione, & FRATRES serenissimos tanto amore coluit, vt magis illi coli non potuerint. Ceteris, immo omnibus, erat facilis & benigna, singulosque, qui petebant, beneficiis, quibus potuit, ornabat, alienum a persona sua ducens, tristem aliquem, quisquis esset, aut gementen dimisisse. Nec vero hac benignissima comitate quidquam fecit, quod dignitati suæ maiestatique derogaret; sed qua sapientia erat & animi moderatione, grauitatem humanitate temperabat, & hanc vicissim ad generis referebat dignitatem: quod sapientum iudicio semper difficillimum fuit habitum; NOSTRAE autem non difficile fuit, quæ ab ætate prima se ita adsuefecerat, vt modum teneret in omnibus, ac neque bonis suis efferretur, neque

comi-

comitate infra decus se submitteret, ita par summis & principibus, vt etiam infimis benigna esset, & humana. Ex qua mirabili moderatione magnitudo animi, digna Principibus virtus, nascitur, quæ ita secundis rebus magnaque fortuna vtitur, vt nihil inde sibi indulgeat, nihil etiam de humanitatis officio remittat, sordidas solas res & vitia despiciat & contemnat. Animi magnitudinem constantia comitatur, qua ille semper sibi constat, non elatior rebus lætioribus, neque depressior aduersis, sed semper idem, semper firmus, ad vtramque fortunam paratus, Deo confisus, virtute innixus, quæcumque fortuna inciderit: in secunda aduersæ non obliuiscitur, nec humanæ fragilitatis; nec deiicitur ab aduersante, sed sperat meliora, etiam exspectat. Magnus animus REGINAE nostræ erat, quo fortunam suam & felicitatem non capiebat modo, sed prudenter etiam & ex virtutis lege moderata fuit, vt fugeret indigna suo ordine; honesta & decora perpetuo tueretur, nihil fortunæ cederet, sed, vtraque maior, ea diceret faceretque, quæ animum recti bonique tenacem probarent; & in quouis cursu rerum se æquabilem gereret ac neutro inclinaret. Hinc illa fortitudo & constantia insuperabilis, qua res lætas & aduersas inuicto tulit animo, & se non regi a fortuna, sed eidem imperare, magnis præclarisque documentis demonstrauit. Quem primum pepererat FRIDERICVM AVGVSTVM, quarto mense amisit, & alterum quoque immaturo partu: hos vero

ro casus constantissime tulit; nec minus obitum serenissimorum Parentis atque Fratrum, quos incredibili amore ac pietate prosequuta fuerat. Nouerat & animo semper agitabat, quae fata humanae vitae sint, & quanta eius fragilitas, & quam nulli mortalium conueniat Deo refragari; vt potius aequo & obsequenti animo ferenda sint, quae mutare aut interuertere supra conditionem est hominum. Par robur etiam in Cognatorum ostendit funeribus, & communia fata tolerando vicit, quae grauius premunt, si indignamur imperium diuinum; ferendo, patiendo fiunt leuiora. Aliena erat ab amore sui, auersabatur blanditias & adulationem, nec ferre poterat, si quis sibi praesenti laudes, quamlibet veras meritasque, contribueret. Iusti aequique fuit amantissima: pudicitiam vero sibi quasi propriam vindicauit, abhorrens vel verbum impudentius, vel iocum liberiorem: vt, quae in nummo Plotinae Augustae, Traiani coniugis, ara conspicitur, inscripta ARA PVDICITIAE; illam REGINAE nostrae monimento vel imagini meritissimo iure adscribi quoque deceat. Studiosissima fuit legendi varios libros, sed praestantes, vtiles, salutares, qui vel ad Dei cognitionem ac cultum pertinebant, vel ad animi morumque faciebant medicinam, vel rerum in Orbe gestarum, Regnorumque ac Rerumpublicarum historiam expositam continebant. Remissiones animi, quae breues erant & moderatae, in musica quaerebat &

stee-

ſcenica poeſi, qua vanitatem rerum, ineptias hominum & reprehenſibiles mores non tam ad ſui oblectationem, vel quorumuis adſpectantium oſtendi voluit, quam vt illos, qui vitiis impliciti aderant, & ſpectabant, emendaret, vt ex triſti euentu diſcerent caſtigatius viuere, ſuasque continerent cupiditates, ac mores ad præcepta honeſtatis ac virtutis conformarent. Quid quæritis, Auditores? Vt ſapientes cenſuerunt, etiam otii reddendam rationem eſſe, ſic ſapientiſſima REGINA, quum ſubſeciuis horis animum remitteret, non ludicris, ineptis aut ſordidis rebus fauebat, verum, qua animi erat magnitudine ac generoſitate, ad decorum & honeſtum omnes remiſſiones, quibus nullam indulſit licentiam, referebat.

Hæ tantæ virtutes, hi mores ex virtutibus nati, ſuauitate temperati, vna cum forma, qua omnibus antecellebat, beatiſſimam REGINAM fecerunt ſumme gratioſam, & omnibus venerabilem, quoscumque adiit, quave tranſiit vel comitata REGEM ſereniſſimum, vel ſola ad Parentes aut Cognatos ſuos profecta. Quum potentiſſimus REX expeditiones vel bellicas vel alias ad Rhenum inferiorem aut in prouincias Belgarum faceret, quo in ipſum amore coniugali erat, lubens ſequuta fuit, in eoque itinere, quarto poſt connubium anno, ſereniſſimam MARIAM Arauſionenſem Principem, poſt Britanniæ Reginam, cognatam ſuam, abſente Wihelmo marito, inuiſit: &,

quis

quia maxima in iis virtutum erat æqualitas, in tantam consenserunt amicitiam, vt mutuis litteris conseruata, ne obitu quidem augustæ MARIAE ex animo NOSTRAE exstingui potuerit. Octauo post anno etiam maximum Regem WILHELMVM, itidem Cognatum suum vidit, quum is nostrum REGEM salutaturus Cliuiam venisset. Mirum dictu, quanta beneuolentia Rex summus nostram REGINAM complexus fuerit. Quarto post anno cum serenissima Matre, iam Vidua, in thermas Aquisgranenses profecta, quum valetudini consuluisset, vsque Bruxellas Brabantiæ excurrit, vbi FILIVM carissimum, qui interea Auunculum magnum, Regem WILHELMVM in Looënsi prætorio veneratus fuerat, maximo gaudio recepit: & in Batauiam regressa, Hagæ Comitum summis honoribus æque, ac quum primum eo venisset, ab Ordinibus potentissimis excepta fuit, etiam ab ipso REGE Britanniarum, tum ibi præsente, conuentu & colloquio iterum iterumque honorata. Magnum decus, summus honor ab Rege pro necessitudine & dignitate æstimari: a præpotentibus coli Ordinibus Fœderatorum Belgarum: sed maior honos & amplior dignitas decreta illi fuerat, quippe sequenti anno, qui sæculi noui primus erat, solemnissimo ritu & magnifica pompa, applaudentibus cunctis & gratulantibus, REGINA BORVSSORVM inuncta fuit, quo apicem honoris, qui mortalibus

talibus conferri poteſt, Deo adnuente, conſequuta fuit.

Trepidat lingua, horret dicere quæ reſtant funeſtiſſima: & tamen dicenda ſunt, ſed breuiter, quia conſultius, Auditores, dolorem animo preſſum occultare, quam multis verbis illius irritare acerbitatem. Ea firmitudine corporis REGINA videbatur, vt non tantum vota ſecure pro ſalute eius faceremus, ſed, quæ voueramus, etiam ſpe præciperemus: verum collapſa ſpes, vota alio verſa, ac optaueramus; quod fatum nec opinatum nobis fuit, beatiſſimæ vero REGINAE non inprouiſum. Duodecim enim anni ſunt, quum florentiſſima ætate, mortalitatem meditabunda, confectis tabulis ſuprema ſua ordinaret, in iisque SERVATORIS de Reſurrectione verba in exſequiis ſuis interpretanda definiret. O præclarum exemplum & omnibus imitandum! Quis credat, ſi hominum conſuetudinem, ſi mores ſingulorum in conſilium adhibeamus, tam excelſæ Principi, tam florida ætate, cui nihil deſit earum rerum, quæ ad viuendum incitare poſſunt, id curæ fuiſſe? at fuit NOSTRAE, quia ſic inſtituta, ſic edocta ab ineunte ætate fuerat, quod mori diſcere ſit ſumma ſapientia: & noſſe fragilitatem ſuam, pars maxima humanæ felicitatis. Iam fatum adproperabat, quum REGINA noſtra, in ſereniſſimam Matrem vnice pia, Hanoueram proficiſceretur, vt eius ſenectutem præſentia leuaret, quamquam nec ipſa ſatis firma, & bis in itinere illo offenſam va-

letudinis experta. Quum tandem, quo destinauerat, xvi kal. Febr. venisset, & per dies aliquot bene valeret; postea, se morbus prodidit, sensim primum, mox in febrem erumpens, quæ vero breui sedata ita fuit, vt e conclaui prodire, cum FRATRE ELECTORE prandere aliquoties potuerit. Sed sæpius recurrit morbus, & tandem ita vires debilitauit, vt vitæ finem adesse nec ipsa REGINA, nec alii, qui aderant, dubitarent. Tum vero virtutes, vt militis in prœlio, se maxime exseruerunt, fides firma, spes secura, constantia fortis, patientia insuperabilis, &, qua animi magnitudine erat, omnia, quæ maximi faciunt mortales, ex animo dimisit, vt Deo vacaret & sanctis meditationibus; in quibus a Gallicæ EcclesiæMinistro adiuta non semel fuit.quem quum iterum aduocaret, prænuntiare illi iussit, SE SIBI OMNIA APVD ANIMVM PROPOSVISSE, ET ETIAMNVM PROPONERE, QVAE IN PRAESENTI STATV, QVO IPSA ESSET, SVB VITAE FINEM, PROPONI ET ADMONERI POSSENT: SEQVE DEVM PROPITIVM PLACATVMQVE HABERE. O beatam animam, quæ ita certa de Numine propitiato, excessum ex mortali vita parat! Valedixit omnibus, & Aulæ supremo Magistro Billouio in mandatis dedit, vt serenissimo REGI suis verbis vltimum VALE dicat, & gratias pro amore agat, & felicitatem perpetuam ad-

adprecetur: Eidem FILIVM commendet, & qui sibi ministrando adsuerint. Per eumdem etiam Bülouium valere carissimum FILIVM iussit: Fratribus VALETE praesentibus dixit: Matri per alterum Fratrum, quam ad id tempus, ne grauius doleret, de fato dulcissimae Filiae celauerant. Sic omnibus peractis, quae agenda morienti sunt, Deo plena & Christi meritis confisa, animam BEATA ET LENISSIMA MORTE, vt Fratri Electori praedixerat, kalendis Februariis Creatori reddidit, quum sex & triginta annos vixisset, menses tres.

O vero ter quaterque, & aeternum beata, SOPHIA CHARLOTTA, Angelorum adsociata consortio! non portionis nunc terrae, sed CAELI REGINAM, vti es, TE appellamus. Macta gloria TVA, fruere quiete, laetare felicitate, quam plenis manibus a Deo collatam possides: & possides aeternum. Vale, beatissima REGINA, salue clementissima DOMINA: vale, haue, aeternum vale. Nos qui TE mortalem venerati sumus, postquam immortalis facta es, memoriam TVI perpetuo colemus, gloriam virtutum commendabimus posteritati, vt nulla vmquam aetas de laudibus TVIS conticescat.

ORATIO XIII.

MEMORIAE
SVPREMI ACADEMIAE FRIDERICIANAE
CVRATORIS
ILLVSTRISSIMI DOMINI, VIRI CONSVMMATISSIMI
PAVLI a FVCHS,
S. ROM. IMP. LIB. BARONIS,
POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE CONSILIARII STATVS RERVMQVE BELLICARVM INTIMI, ITEM FEVDALIVM RERVM DIRECTORIS, DVCATVS VLTERIORIS POMERANIAE AC PRINCIPATVS CAMINENSIS CANCELLARII, ET SACRI CONSISTORII PER MARCHIAM PRAESIDIS, VNDIQVE EMINENTISSIMI,
NONIS AVGVSTI cIↃIↃccIV
MORTALITATE INTERCEPTI,
DEDICATA.

Vixit,

VIxit, ſuperuixit, immo viuit per ſæculorum memoriam VIR ſummus & illuſtriſſimus PAVLVS FVCHSIVS, de patria, republica, & hac noſtra academia meritiſſimus. Vixit, eheu! & viuere deſiit, qui dignus immortalitate fuit: gloriæ ſuæ ſuperuixit multos annos: legit rerum a ſe geſtarum annales & hiſtorias, & ante, quam vita excederet, poſteritati interſuit. Viuit etiam in bonorum omnium memoria: viuit in monimentis ingenii quæ exſtruxit; viuit fama bene adminiſtratæ reipublicæ; viuit & gloria, quæ numquam peribit, litterarum & eloquentiæ. Nam illa vita, quæ viuitur ſpiritu & corpore, non eſt vera vita, quæ ingeniis & ſapientiæ cultoribus ſufficiat. Poſteritatem proſpicit mens generoſa, in illa verſari laudarique concupiſcit, &, quum ipſa immoralis ſit, ſui etiam memoriam, & meritorum laudem appetit immortalem. Etenim nullam virtus aliam mercedem laborum, nullam litterarum ſtudia deſiderant, quæ viam virtuti ſternunt, præter hanc laudis & gloriæ ſempiternam. Quam vt conſequantur magnæ animæ, ab ipſis Muſis, quas illæ coluerunt, proſpicitur, quia ſuorum ingeniis perficiunt, vt nulla ætas, vt memoria nulla de laudibus illarum conticeſcat. Ad quod quum omnes conferant, quotquot virtutem & doctrinam in pretio habent; quanto maius, quanto iuſtius putatis, Auditores, officium

Fridericianæ esse, quæ non tantum, quod alii, miratur, ingenium VIRI summum, iudicium peracutum, doctrinam consummatam, facundiam incomparabilem; verum rationes etiam habet proprias, easque sibi necessarias iustissimasque, quibus inducatur, vt ipsa magis, quam quisquam alius, in maximi VIRI laudes intenta, se gratam, immo deuotam piis Manibus perpetuo exhibeat. Recordatur enim semper (nec enim fas est obliuisci) huius ore, sacro AVGVSTI CONDITORIS mandato, se dedicatam, eiusdemque & Collegarum Triumuirorum curis ac consiliis ad eum florem ac famæ celebritatem succreuisse, vt de fructuum copia præstantiaque cum antiquissimis academiis frequentissimisque certare possit. Has propter rationes se maxime ad memoriam tanti VIRI colendam, & in Honoris templo æternitati vicissim dedicandam, sese obstrictam esse intelligit: quod nunc mihi munus impositum esse video, cui digne exsequendo par Fuchsianæ eloquentia (at vbi inuenitur?) omnino foret necessaria. Nihilominus, quum excusabilius sit deficere dicendi facultate, quam, officio neglecto, notam ingrati animi admittere; Fridericianæ personam in me suscipio, & vtcumque potero, illustrissimi VIRI merita memoriæ æternæ dedicabo, vt nec posteri, nec vlla ætas nesciat, quibus studiis VIR summus ad tantam virtutis ac doctrinæ gloriam progressus fuerit: indeque exemplum capiat, quod iuuentuti, ad rempublicam instituendæ,

endæ, imitandum æmulandumque perpetuo proponatur. Duo enim ſunt, quæ illuſtrium virorum exemplis pariter obſeruari decet, grata veneratio memoriæ, & ſollers virtutum imitatio. Neutrum abeſſe ab officio huius diei decet, quod non expletur, niſi coniuncta illa efficiant, ad quod a maioribus inſtituta ſunt parentalia ſacra, ſiue funebres, vti vocantur, laudationes. Vos vero, Auditores ſplendidiſſimi, vt beatis Manibus impenſe omnes fauetis, ſic mihi quoque de maximi VIRI virtutibus ac doctrina, & quæ inde ortum habuerunt, honoribus ac rebus geſtis dicturo, non lingua modo, ſed animo & auribus etiam, quod vnice precor, pro veſtra mihi non ignota beneuolentia fauete.

Annus ſæculi nuper exacti quadrageſimus erat, quum natura non effeta in citeriore Pomerania, eiusque ad Oderam metropoli, eum virum parturiebat, qui litterarum præſidium, & gerendarum rerum magnum lumen futurus erat. Quantas fautrix natura opes habet, quibus indolem inſtruat ac ornet naſcentium; eas omnes in NOSTRVM, quem laudamus, contulit ac cumulauit, vt tantus aliquando fieret, quantum virtuti ac doctrinæ, maximo ingenio, acerrima voluntate, ſummoque ſtudio ad faſtigium feliciter euehendæ, ſatis eſt ac neceſſarium. Si quid etiam momenti in natali ſolo eſt ad ingenii felicitatem obtinendam; neque id NOSTRO videmus defuiſſe, cælum ſalubre, nec molle tamen, ſed quod

induret ad laborem: mores ciuium, non magis mercaturæ, quæ per flumen & vicinum mare exercetur, quam litterarum ſtudiis idoneos, quippe illuſtre, quod ibi eſt, Gymnaſium, optimis refertum diſciplinis, NOSTRI adoleſcentiæ ad profectus ſolito maiores incitamento ſingulari fuit. Intereſt multum, quo quisque loco, quibus ducibus, qua via in Muſarum penetralia ingrediatur. Plurimi hodie dum feſtinant curſum, in deuia abripiuntur, malis abducti præceptoribus, qui quum, ignari rectæ viæ, per compendia volunt ducere, in diſpendia tesquis & vepribus horrentia inducunt. Qui enim vel ſacra Themidis, vel alius ſuperioris diſciplinæ, ſine litterarum ſtudiis, quod eſt illotis, vt aiunt, manibus, tractari poſſe exiſtimant, plerumque eiusmodi formant ac fingunt homines, quibus nec Reges neque Principes ad magnas res agendas vti poſſunt. Magnorum Principum aliæ rationes ſunt, quam ceterorum, nec illis hac ſcientia, quæ iuri dicundo addiſcitur, ſatisfieri in rebus ſuis poteſt. Legationibus opus eſt ad exteros Reges atque Reſpublicas: Latinæ ſæpe ad eosdem ſunt epiſtolæ ſcribendæ, aut aliud eadem lingua copioſius in cauſſis publicis & pacis bellique momentis demonſtrandum: quibus ſane impar eſt muneribus, qui non in iuuentute ad illa ſe præparauerit. Hugonem Grotium, magnum virum, vti erat, ac illuſtratorem naturæ & gentium iuris omnes laudant & demirantur, pauciſſimi vero ad fontes, vnde fluxerit ſapientia illius,

illius, respiciunt. Ipse eos minime celauit, oratores, historicos, poetas veteres nominatim commendans, vnde corriuarit suam, quam Orbis admiratur, naturalis iuris ac populorum consuetudinum notitiam ac facultatem. Hinc enim optima nascitur vis consultandi, & saluberrima consilia ab exemplis & rationibus sæculorum proficiscuntur. Quasi vero ad huius viri exemplum se componeret noster PAVLVS FVCHSIVS, nequaquam adolescens, quod multi faciunt, studia illa posthabuit aut neglexit, quæ ceterorum fundamenta sunt: neque leuius tractauit illa, aut properantius iusto transcucurrit; sed, quoad ætas ferebat, totum se illis tradidit: neque, quum ad grauiora adgrederetur, illorum curam ex animo abiecit; sed, vt omnes liberales artes inter se vinculo cohærent, ita primas secundis aliisque sequentibus semper coniunctas esse voluit, vt disciplinis disciplinas adiuuaret, nec, riuos sequendo, fontes ipsos limpidissimos amitteret: idque tam concitatus indole sua fecit, propendente in meliora studia; quam ductu illorum, a quorum ore pendebat, hominum litterarum elegantium doctrina instructissimorum. Erant enim illo tempore plenæ Germanorum academiæ optimis liberalissimisque studiis, & in singulis docebant quidam, qui humaniores litteras ex antiquis monimentis explicarent, a quibus, qui plus vulgo sapiebant, didicerunt quæ ad vsum singularem & eximium reipublicæ conferrent. In horum numero NO-

STER nomen profitebatur suum, & iam tum adolescens intellexit, quæ vera sint & firmiora studia, quibus cetera suffulciantur; quæ inde non tantum ornamentum petunt, sed vsus etiam sui & exercitii facilitatem. Vt ergo bene cæpta perpoliret, in Batauos profectus est, vbi elegantiores Musæ, Græcia barbaris relicta, sedem sibi ac domicilium constituerunt. Ibi vixit in conspectu clarissimorum hominum, ad quorum se exemplum conformabat, iisdemque, quibus ipsi pollebant artibus, pectus suum etiam impleuit, id maxime miratus imitatusque, quod in gente illa summum est & præcipuum, pristino Romanorum more studia artium ac disciplinarum doceri, nec primo loco esse quod magis, quam cetera, lucrosum est; sed quod pulcherrimos fert fructus ad rempublicam & communem vtilitatem. Romani, cordatissimi mortales, primas partes eloquentiæ dabant, qua plurimum possent in republica, nec in vrbe tantum aut Italia, verum etiam in prouinciis, & ipsis castris, quum bello interessent. Quapropter de Seruio Sulpicio refertur, iurisconsultorum ætatis suæ principe, quum eloquentiæ palmam, quam adfectabat, præreptam sibi a Cicerone ac Hortensio vidisset, maluisse in secunda arte primum esse, quam in prima, id est eloquentia, secundum. Hac via ad summa nobilissimus quisque Fœderatorum Belgarum grassatur, quibus semper oratoribus opus est, quos in aulas Imperatoris, Regum, Principum delegent, quibus sæpe numero Lati-

Latine, communi eruditæ Europæ lingua, caussa sua agenda est. Despiciant artem qui ignorant: ineptos rhetores cum oratoribus confundant, qui discernere nesciunt: sunt nihilominus sapientiores multi, qui altius inspiciunt, discrimen intelligunt, vsum cognoscunt & prædicant. Plus ad hæc studia requiritur, quam vulgus imperite iudicat: cognitio omnis antiquitatis, lectio oratorum, poetarum, historicorum: nec non iuris, legum, & philosophiæ, eius præsertim, quæ de moribus agit & ciuitate, non leuiter tincta, sed penitus imbuta cognitio atque scientia. An existimatis, suppetere oratori posse, quod quotidie in tanta varietate rerum dicat, nisi animum vniuersa doctrina clarissimorum hominum excoluerit? e quibus alius inuentionis ordinem suppeditat, alius materiam & amplificationem: iste selecta & idonea verba subministrat: ille ornatum præbet & artificium: sunt qui ad excursus & digressiones, etiam oratori necessarias, plurimum conferant: vt ita nulla parte litterarum carere possit, qui oratoris nomen sibi tuendum vindicandumque proposuit. Quæritis, Auditores, cur tam multa de argumento hoc verba faciamus? Id institutum exigebat nostrum, quia summus, quem nostra ætas vidit, Orator mihi laudandus est; &, si dicemus quod res est, non alio magis studio, immo præcipue hoc ipso ad tantos honores, quos gessit, euectus fuit. Sed de hoc infra pluribus dicemus: nunc, quæ restant de ingenii cultura, & ad rempubli-

publicam præparatione, perſequemur. In Galliam NOSTER & Britanniam profectus, non, vt multi, quo tantum pulchras aut munitas vrbes, & ſplendida ædificia, aut pompam & obſequia aularum ſpectet; ſed quidquid vbique bonum, præclarum, & elegans erat, in vſum vt verteret ſuum, & antiquitates perſcrutaretur, & quantas Romani olim res hoc vel illo loco geſſerint, adſpectu oculorum excitatus, apud animum curatius conſideraret. Magna hæc aliorum decora, neque vero ſatis dant doctioribus. Habent exteræ nationes illæ viros omni eruditionis genere ac elegantiſſimis ſtudiis perpolitos ornatosque. Hos adire, cum his eſſe ac verſari, horum ſermonibus, ſtudiis, moribus intendere animum, ac inde diſcere quod ſalubre ac frugiferum eſt; hoc vero præcipuum peregrinationis munus ſollertiſſimus noſter FVCHSIVS ducebat; etiam perluſtrare bibliothecas, & theſauros ſcrutari antiquitatum, nummorum præſertim veterum, e quibus doctisſimus quisque nunc elicit, quæ ad nitidiorem elegantiam, ad emendandas rerum geſtarum ac temporum rationes faciunt.

Sic formatus ornatusque optimarum diſciplinarum ſcientiis, honores non largitionibus inuaſit, aut arroganter petiit & iactabundus; ſed, qua modeſtia erat, ordinaria ſe via ad rempublicam contulit, illius memor ſapientum præcepti, quod Philopœmeni, non minus philoſopho ſummo, quam militiæ præclaro duci, Plutarchus tribuit,

ſemper

ſemper in ore animoque habuiſſe, DOCTRINAM DEBERE AD FACTA TENDERE, NON OTII AVT DISSERTATIONIS CAVSSA VSVRPARI. Qui amœniores Muſas per inſcitiam ſuam contemnunt, apud vulgum criminari ſolent, illarum cultores inutiles ad res gerendas eſſe, ſiue ad tractandam rempublicam; quam vero hi turpiter a recto ſenſu aberrent, non vetuſtis Græcorum Romanorumque exemplis oſtendam, ne quis mihi referat, aliam conditionem noſtrorum temporum eſſe, alium nunc ſtatum reipublicæ; ſed vel ſolus hic ſummus VIR, cui ſuprema iam perſoluimus, configet ac refellet illos, & pudendæ ignorantiæ conuincet, quippe ille ad omnem elegantiam litterarum excultus, tantum operæ ſtudiique reipublicæ nauauit, quantum non facile, quisquis etiam eſt, præſtantium virorum alius: quod nec ipſe NOSTER potuiſſet efficere, niſi tam præclare inſtructus ornatusque litterarum fuiſſet præſidio. Vt vero fructus, quos collegerat, adferret ad rempublicam, primum foro dedit operam, in quo non modo iuſte ac legitime verſatus fuit, ſed ita diſerte quoque, ac ea claritate ſuæ fidei commiſſas cauſſas egit, vt facile appareret maiori eum ingenio eſſe, quam vt dignum ſit, forenſi illud ſtrepitu conſumi, nec diuitias, quas poſſideat, illuſtriori loco exponere. Illorum ergo conſilio, qui rebus præſunt, & ingenia dignoſcunt, publicumque ſtatum litterarum curant, glorioſo

rioso Principi FRIDERICO WILHELMO Magno commendatus fuit, vt paullo ante ab illo constitutae Duisburgensi Academiae Professor iurisprudentiae adderetur, cui ornandae prouinciae in primis esset idoneus, vtpote iis litteris, quibus antiquum ius Romanorum illustratur, quam maxime eruditus. Ibi vero campum nactus est NOSTER, in quo virtus eius excurreret, & doctrina se mirifice in publico conspectu explicaret. Docuit incredibili suauitate, summa eruditione, idque tam perspicue, itaque sincere, vt omnium ad se oculos animosque aduerteret. Et vt aliis etiam extra spatium suum prodesset, Paraphrasin Iustinianearum Institutionum, singulari felicitate compositam, publici iuris fecit, nihilque in vlla parte praetermisit quod quisquam summo ingenio, acerrima industria, magnoque vsu cognitum ac perceptum proponere aliis & tradere posset. Contentus sua fortuna erat honestoque loco atque otio, quamquam ipse minime otiosus erat, sed semper aliquid meditabatur, quod ornandae iuuentuti, & rei litterariae augendae in publicum conferret. Est enim hoc vitae genus maxime tranquillum, etiam reipublicae, si quod aliud, frugiferum; nec minus proferendae famae hominis idoneum: quod ipse postmodum, quum summis iam honoribus emineret, per epistolas amicis suis saepe laudauit. His ergo bonis contentus NOSTER erat, iisque tranquillus fruebatur: sed fata maioribus eum desti-

destinauerant. Etenim ingenii magnitudo in dies magis elucebat, eoque factum fuit, vt a triennio in Aulam reuocaretur, secreta status publici litteris consignaturus. Tunc vero enituit clarissime, quid ingenium possit, humaniorum litterarum præsidio, &, quod inde exsurgit, ciuilis prudentiæ, confirmatum. Expedita enim celeritate miraque sapientia omnia feliciter & scite componebat, nullaque res ita ardua, confusa, turbata, distracta erat, quam ille singulari artificio ad pulcherrimmam formam elegantiamque non potuerit redigere. Sub idem tempus Rex Galliarum, vt Belgicas Hispanorum prouincias, quibus dudum inhiauerat, deuoraret, Belgas Fœderatos, quos solos consiliis suis obstare aliquoties expertus fuerat, immani bello imparatos adgressus, in societatem illectis Magnæ Britanniæ Rege, qui mari vrgeret; & Coloniensi Electore ac Episcopo Monasteriensi, qui Germanorum auxilia accessu prohiberent; cum his, inquam, sociis eos Belgas funditus delere constituerat. Quæ res quod grauissimum periculum Germaniæ nostræ intentaret, beatus noster FVCHSIVS, priuatis credo consiliis, & periclitandi ingenii caussa, quo perspicatissimo pollebat æque ac scribendi facultate; omnem statum illius belli cum veris caussis & futuris euentibus Epistola Latina, dissimulato suo, præscripto Sinceri Germani nomine, ad Ludouicum Seldenum perscripsit, quæ quod summo iudicio tersissimoque stilo composita esset, cumulum ex-

existimationi, antea virtute ac doctrina partæ, addidit. Tum enim, quod aiunt, ex vngue leonem viri summi, ELECTORIS maximi in dirigenda republica administri, cognouerunt. Itaque aucti honores atque præmia, & quæ Latine aut Gallice (nam vtroque sermone, vt natiuo, excellebat) quæ, inquam, his linguis consignanda aut expedienda erant ipsi soli committuntur: fit & Aulicus Consiliarius, & paucos post annos sanctiori Senatui potentissimi ELECTORIS adlectus est. Tantos fructus litterarum ferunt studia, si bene radicata sint, & cum iuris studio ac philosophiæ, quibus adiumento sunt, suauiter coniuncta. Hæ illæ alæ fuerunt, quibus ad tantam dignitatem atque gloriam VIR illustrissimus euectus fuit; hæ omnibus expeditionibus subsidio; hæ perpetuo per omnem ætatem ornamento. Si quid grauiter, si ornate, si Latine, vt ad exteros Reges atque Principes, elaborandum erat, NOSTRI is labor & opus solius erat, aut voluptas potius, quam labor, quia adsuetus his artibus in iisque exercitus ita erat, vt sine difficultate, sine tædio aut molestia, prompte celeriterque omnia, nec minus sapienter, perficeret. Possem commemorare, quæ ad inuictissimum Imperatorem pro Vngaris, sacrorum caussa misere adflictis; aut ad Regem Hispaniæ de naue ad Ostendam capta & abducta; aut ad diuersos illos maximi PRINCIPIS nomine ac auctoritate conscripserit; & quæ nuper in caussa Elbingensi ad Regem & Rem-

Rempublicam Polonicam copiosissime clarissimeque exposuerit: cuius generis litteraria monimenta permulta in scriniis Regiis adseruantur; sed satis ad demonstrandum Epistola sit, ad serenissimum Sueciæ Regem aduersus Legati Sueciei impudentissimam criminationem sacro mandato consignata, quæ integra in Pufendorfianis exstat commentariis. Orationes autem, vel sub indulgentissimo REGE nostro, vel sub PARENTE gloriosissimo habitæ, huius VIRI quasi propriæ erant; quia nemo fuit disertior promptiorque ad dicendum; siue patrio sermone, siue veteri Romano verba facienda essent. Testis est vel sola Dedicatio huius Academiæ, plausu amplissimi theatri digna; omnibusque numeris perfectissima. Siue enim verborum delectum singularem spectemus, siue formam & compositionem, siue denique argumentum & materiam; nihil magnificentius ornatiusque dici potuisset. Quid quæritis? Digna omnia erant maiestate CONDITORIS Academiæ, qui in solio præsidebat, audiebatque clementissime, augusto suo nomine dedicari, quæ perennem gloriam adlatura esset, nouam Academiam Fridericianam. Legatos Regum & Rerumpublicarum prisci Romani ORATORES ab officio dixerunt, quia legationis munus oratione plerumque peragendum est. Noster autem, non vt aliquis e multis; verum, vti erat, egregius & incomparabilis Orator quam plurimis legationibus; simul ac virtus eius in-

innotuit, ad magnos Principes & Respublicas perfunctus est, & vbique sua eloquentia, sapientissimis consiliis coniuncta, perfecit, vt felicior eventus sequeretur, suique PRINCIPIS ac DOMINI satisfieret voluntati. In Dania id præstitum primo fuit, cuius Regem Domino suo conciliauit adeo, vt is in periculosa. quæ tum agitabatur, nouæ contra Gallos societatis caussa plane cum ELECTORE consentiret, diffiso (quod priori societate expertus fuerat) tam constantiæ, quam viribus Sociorum. Nec multo post tempore, quum gloriosus ELECTOR pro pace & securitate Germaniæ, omnem, vt aiunt, lapidem moueret, hunc suum Oratorem ad Coloniensem Electorem, ad Duces Brunsuico-Luneburgenses, ad Episcopum Paderbornensem, Principem Arausiacum, Ciuitatem Amstelodamensem, & ad Ordines Frisiæ orientalis misit, vt facundia sua demonstraret, quam necessariæ illo tempore indutiæ essent, cum Gallorum Rege ineundæ, quod Cæsaris arma bello Turcico distinerentur, Hispania eneruata esset, exhausti Belgæ, Britanni paci ac otio procliuiores viderentur: quæ etiam indutiæ viginti annorum tandem Ratisponæ, in Comitiorum loco, factæ sunt, vtinam etiam a Gallo constantius seruatæ, nec breui post tempore, præter opinionem omnium, perfido consilio abruptæ & conculcatæ. Illa in Batauiam Frisiamque legatio occasionem dedit de commerciis terra marique exercendis agendi: & eodem tempore nauigationes in Africam Ameri-
cam-

camque Emdæ Frisiorum, frustra nonnullis reclamantibus, ad certas rationes adductæ ac confirmatæ sunt: qua in re quoque nostri FVCHSII studium atque consilia laudantur. Mire id gloriam Brandenburgicam adauxit, quum in vniuersa Germania nemo sit Principum, qui extra illas Solis vias, vbi cælifer Atlas axem torquet, prope medium terrarum Orbis circulum, in aurifero litore castella possideat, præsidiis teneat, & classem eo quotannis mittat, quæ mercandi caussa in Americam vsque excurrit. Sed ad alia nobis est properandum. Tangit Batauiam Cliuensis terra, vetus Sicambrorum sedes; eique adnexæ quædam aliæ regiones: quibus nihil consultius est & vtilius, quam firma & perpetua cum Belgis Fœderatis amicitia, a longo tempore constantius culta & conseruata: vltimo autem, quod antecesserat, Gallorum bello / quo potentissimus ELECTOR auxilio Batauis profectus fuerat, non dirupta quidem, querelis autem mutuis debilitata & diminuta, cuius redintegrandæ caussa pacificus non minus, quam bellicosus ELECTOR eloquentissimum suum FVCHSIVM ad Ordines Belgarum misit, vt veterem amicitiam concordiamque renouaret: quod is etiam, sublatis dissentiendi caussis, adeo feliciter perfecit, vt insequente anno cum ELECTORE in eosdem Batauos delatus, maxima voluptate egregios transactionis suæ fructus, in summa illius ac Ordinum Fœderatorum consensione ac amicitia perspiceret. Et quem fugit no-

ſtrum, Auditores, difficillima inter Daniæ Regem & Holſatiæ Ducem, etiam vtrimque a Filiis repetita controuerſia? etiam eiusdem Regis cum ſereniſſimo Duce Luneburgenſi de Ratzenburgica munitione concertatio? Ad has vero & ſimiles diſceptationes plures, & pleraſque grauius protractas ac armis decertatas, illuſtriſſimus noſter FVCHSIVS, vt pacificatoris partes ageret, legatus, plurimis in hac cauſſa inſtitutis conuentibus interfuit, omniumque confeſſione illius ſtudio, prudentia, & dicendi facultate ingens pondus ad faciliorem additum conciliationem. Tanta enim illius fuit ſollertia, tanta vis proſpiciendi futura, & tam prompta rerum omnium, etiam maximarum, expeditio, vt non ſolum grauisſimæ quæque cauſſæ ad illum deferrentur, ſed ordinariis etiam muneribus in ſanctiore Senatu, in Conſilio Bellico, (nam & huius Collegii pars fuit eximia) & quorum Moderator ipſe ac Director fuit, in Feudalium rerum Iudicio ſupremo, & in ſacro Conſiſtorio; etiam prouinciarum negotiis integrarum, abunde ingenii magnitudine ac ſtupenda induſtria ſufficeret. Propter quam agendi dexteritatem prægloriofus Elector FRIDERICVS WILHELMVS, & poſt huius ad Superos exceſſum, Filius & Heres FRIDERICVS, REX ac DOMINVS noſter indulgentiſſimus, quoquo ibant longius, ac iter per prouincias aut extra illas faciebant, vt Agamemnon Neſtorem, ita hunc ſuum FVCHSIVM comitem fere perpetuum habuerunt, quod illum ad ſubita

quæ-

quæque in dubiis rebus explicanda instructum paratumque experti essent. Sic maximus ille Heros in omnibus aduersus Gallos & Suecos expeditionibus, in Westphalia, ad Rhenum superiorem, in Batauia, Pomerania citeriore, in Borussia & ad Liuoniæ fines, & quas alias victor regiones cum exercitu peragrauit, hunc secum habuit in castris, in prouinciis, vt, quoties opus esset, (erat autem fere quotidie) huius consiliis, voce, litteris vteretur. Nec minus potentissimo REGI & multum clementissimo DOMINO nostro idem in longinquis itineribus adfuit, quoties in Borussiam, aut Cliuenses regiones & Batauiam profectus fuit, præcipue, vbi fidelitatis iusiurandum in prouinciis accipiendum erat. Egregii & mirifice diserti sermones sunt, quibus singulis locis prouinciales ad fidem & obsequium suo DOMINO præstandum, exhortatus est, qui propediem, vt fama fert, typis exscripti, in lucem & publicum vsum prodibunt, ingenii ac facundiæ auctoris sui testes luculentissimi. Nec vero existimandum est, detrimento studiorum tot itinera & peregrinationes, quas diximus, fuisse. Qui enim dulcedinem studiorum in iuuentute imbiberunt, numquam illa deserunt, sed vias quoque legendo fallunt, meditantur in diuersoriis, & semper aliquid agunt, quo publici labores quasi condiantur, & animus litterarum amœnitatibus refocilletur. Hæ enim alunt & augent industriam, hæ nouam quotidie alacritatem addunt, vt illa præstantior nostri pars nullis fran-

gatur laboribus, sit contra maneatque semper insuperabilis. Atque hæc ex publicis eius tam domi quam foris gestis rebus delibasse sufficiat. Quis enim tot annorum facta omnia recogitabit? & si quis esset, qui cogitaret, quis illa, non dico illustrare, sed tantum cum momentis suis simpliciter enarrare poterit? Verendum esset, ne dies nos deficeret, si singula velimus persequi ac recensere.

Restat aliud, quod nostri muneris est proprium, nec præteriri a nobis, illæsa pietate, potest, supra quidem leuiter memoratum, nunc vero grauiori cura & pleniori voce prædicandum. Non obliuiscitur Academia magnificentiam illius diei, quo ab augusto CONDITORE splendidissimis ritibus dedicata fuit: nec illius VIRI non meminisse potest, cuius suauiloquenti ore ipsa facta fuit dedicatio. Immortale hoc REGIS factum dignum vtique præcone erat, qui vsquam terrarum inueniri posset, eloquentissimo. Hoc vero ad munificentissimi AVCTORIS felicitatem accessit, vt eius diuinum opus, quo maxime sibi humanum genus devinxit, Orbi admirandum prædicandumque exponeret, qui omnes non modo ætatis suæ oratores, sed plurium etiam sæculorum superaret. Magnum hoc & illustre est, cuius caussa Academia nostra Fuchsianæ gloriæ æternum faueat: sed nec id solum est, quod illam ad memoriæ & laudis officium obstringat, verum, si recte reputamus, plura alia successerunt, si non maiora, tamen numero illi primo maximoque præferenda. Postquam

quam enim ei Cura Academiæ, quamlibet districtissimo reipublicæ muneribus, ab clementissimo STATORE ac SERVATORE illius commissa fuit, tanto is studio Academiæ res tuendas sibi & in maius prouehendas suscepit, vt putare potuissetis, nihil illum aliud agere, nisi vt litterarum commodis & propagationi studeret: licet nemo ignoret, quam infinitis curis aliis, quantisque laboribus distentus fuerit, quibus tamen omnibus ingenio & industria par, immo superior exstabat. Scilicet hæc generosi pectoris natura est atque indoles, vt laboribus minime frangatur, sed recreetur potius ac reficiatur, quasi hoc eius nutrimentum sit, & inter diuersa genera, quod litterarum humaniorum est, suaue condimentum & laboris mitigatio. Qui enim perfecte sunt eruditi, numquam maiori se adfici gaudio existimant, quam quum in litterarum studiis versantur, aut ad iuvandas illas conferre aliquid pro suæ dignitatis modulo vel amplitudine possunt. Quæ rationes communes NOSTRO cum aliis; nec vero illæ solæ erant: addere possum singulares, quibus, vt faueret nostris studiis, tamquam stimulo concitabatur. Quisque operæ suæ aut laborum gaudet fructibus, atque illustri etiam FVCHSIO nihil delectabilius fuit, quam quum videret, adnuisse Deum votis suis, quæ, quum Regiis auspiciis dedicaret, pro incremento & flore nouæ Academiæ non vulgaria, sed exquisitissimis verbis concepta, sanctissimisque

facta cærimoniis rite nuncupauerat. Accessit dulcis recordatio, quibus ipse artibus studiisque ad tantos honores tantamque fortunam profectus fuisset, quod sane melioribus se litteris debere non ingratus profitebatur: quibus tam præclare de se meritis vt gratiam referret, nunc demum sibi materiam oblatam esse, quum curam suscepisset Academiæ, lætabundus cogitauit. Hinc tantus amor tantumque studium VIRI summi in nostras Musas fuit, vt neque maius, nec testatius esse potuerit. Hæc publice ille, & in publicæ rei communem vtilitatem præstitit: quibus etiam publicum præmium, famam & gloriam, nec loci nec temporum limitibus circumscriptam, id est vere immortalem, consecutus est.

Nec vero ceteræ virtutes eius sunt sine laudibus dimittendæ, iustitia, beneficentia, humanitas, amicitia, reliquæ, quas communi vita aut priuatim ita excoluit, vt æque illarum fructus in rempublicam, cui natus erat, remitterentur. Improbitatis, futilitatis, calumniarum ac delationum, item inconstantiæ ac leuitatis; iactantiæ quoque atque ambitionis osor erat acerrimus, nec ferre illos poterat, qui non regia via, quæ virtus est & eruditio, ad honores adspirabant. Grauis fuit, vt dignum persona erat, quam agebat: idem vero etiam comis & benignus erga omnes, sed probos maxime ac virtutis amantes; quos vero simul elegantioribus litteris ornatos intellexerat, hos, vt sui similes, amauit, fouit, & si minus felices essent,


ſent, vt latentem virtutem in lucem protraheret, ſtudioſiſſime adlaborauit. Eſt enim proprium magnæ indolis, ingenii dotes in aliis non contemnere, ſed amplecti, commendare, ac pretium virtuti ponere, ne illud contingat, quod indigniſſimum eſt, vt præclaræ mentes nullam mercedem, niſi ex conſcientia, habeant. Amicos NOSTER non genere aut dignitate, ſed ingenio diſtinguebat: & quo quisque virtute erat ſpectatior, eo faciliorem aditum ad conſummatiſſimi VIRI amicitiam inueniebat: & receptus ab eo, quod haud difficile fuit; non vulgares fructus ex beneuolentia eius & humanitate percepit. Caute ac circumſpecte inibat amicitias, vt probis tantum ſe committeret: ſi vero ſemel facta fuerat coniunctio, tanta conſtantia amabat quos legerat, vt quamuis diſtractus reipublicæ negotiis, numquam tamen deeſſet officiis amicitiæ. Summos, infimos eadem voluntate, eodem amore complectebatur, &, quod difficillimum eſt temperare, par ſummis fuit, communis infimis, neque illorum conſuetudine humanitatem dimittebat; neque amore horum, grauitatem minus tuebatur. Litterulis ſalutatus, quamquam publice occupatiſſimus, tamen illi coreſpondebat cuilibet, pro captu illius & ingenio, litteratis Latine, idque tam ſcite ac eleganter, vt nec antiquum Latium tam Latinum fuiſſe videatur: & hoc, quod ſæpe miratus ſum, ſuopte ingenio ſuaque manu celerrime faciebat. Vt autem animo ingenti erat, ita par

huic contigit firmitudo corporis, quæ nullis laboribus infringebatur: neque quum iam in flexu ætas esset, imminui robur aut decrescere vires sensit. Tanta vis est consuetudinis, vt neque senectute debilitari se patiatur. Bis connubium feliciſſime iniit: ex priori duas Filias suscepit, quarum altera Parentem mortalitatis fine antecessit; altera illustriſſimo Status Consiliario & Regio ad præpotentes Belgarum Fœderatorum Ordines Legato WOLFGANGO Libero Baroni de SMETTAV diuinis auspiciis locata est, Matrona tam suis virtutibus mirificis, quam Parentis, Maritique meritis conspicua & illustris: ex coniugio posteriore reliquit Filium, IOHANNEM PAVLVM, Lib. Baronem a FVCHS, Potentiſſimi Borussiæ REGIS Consiliarium Aulicum,& Appellationum in Westphaliæ Prouincia Rauensberga: vt ita etiam domi suæ NOSTER felix fuerit, sicut in Aula fuit & publicis honoribus, sicut etiam foris & in legationibus: idemque gratus fuit Principibus, iucundus amicis, clientibus benignus ac beneuolus, in nostram Academiam semper officiosus, ideoque a nobis æterna memoria colendus. Digna virtus immortalitate, quam post fata demum accipit, victura inter posteros, qui sincerius & ex æquo omnia censent, meritorum memoriam conseruant incorruptam & immortalem. Hanc magnæ animæ cogitant quum de patria bene merentur: hanc etiam NOSTER per omnem vitam præuiderat, quum tot labo-

labores summa perferret alacritate: hæc illum ad bene merendum excitauit, & sponte currenti honestatis caussa, stimulum superaddidit, quæ gloriæ & immortalitatis est præsensio. Quam dum viam indefessus persequebatur, stitit, abrupit insuperabile fatum præclaras decursiones, & VIRVM ad summa natum, & publico bono quotidie magis inuigilantem, oculis quidem nostris, non autem memoriæ, quæ perpetua est, subduxit. Inopinatus obitus omnibus fuit: ipsi autem DEFVNCTO felix & beatus. Sæpe quæsitum a sapientibus, quinam ex vita excessus esset felicissimus. Quidam puerorum mortes laudauerunt, antequam fortunæ casus ac ludibria subirent: plures longæuæ vitæ protractiorem finem prætulerunt, quod bonis suis diutissime fruerentur, qui vitam per seros annos in decrepitam vsque ætatem proferrent. Rex Philippus, Amyntæ filius, mortem subitam, sine doloris sensu incidentem, dixit esse optimam. Sed vanæ hæ opiniones sunt, quia mortis genus non est res arbitrii nostri, sed vt cuique diuino fato & voluntate destinatum est. Si tamen votis licet agere, videtur illud genus, quo noster emigrauit FVCHSIVS, ceteris omnino esse præferendum. M. Tullius de se in tumultu Catilinario dixit, non esse consulari viro mortem immaturam, quod non tam ille de annis suis (nam quadragesimum quartum tum forte agebat) quam de honoris apice haud dubie intellexit. Felicior NOSTER, qui viginti annis

ætatem illam ſuperauit: honoribus etiam, qui ſummi in Aulis Regum Principumque ſunt, per multos annos functus eſt. Præterea illa ætate mori, quæ ſenilis quidem eſt, ſine tamen incommodis ſenectutis, tamquam cæli munus imputari poteſt: præſertim ſi aliquot dierum præmoneat infirmitas, vt ad tranſitum in meliores ſedes apparari rite poſſit; quo nihil intrat niſi purum & ex omni parte diuinitus mundatum. Nam magnis etiam virtutibus, quia homines ſumus, næui adhærent, quorum cauſſa cum Deo agendum, & Chriſti vtendum meritis, vt deleantur. In hoc quoque noſter SENEX fortunatus fuit, qui nec immaturam, neque ingloriam mortem obiit, ſed poſt clariſſima facta & maxima in rempublicam merita; nec imparatus, ſed inter ſanctas meditationes pretioſum illud depoſitum, animam diuinis dotibus ornatam, ei, a quo acceperat, placidus ac lubens reddidit. Auguſtus Cæſar, ſupremo die, amicos eſt percontatus, ecquid iis videretur mimum vitæ commode transegiſſe. Scilicet præſtantiſſima etiam vita, & in ſummis acta honoribus, nihil niſi fabula eſt, qua breui rempore perſona magna agitur; mox exuitur, ac nulla eſt. Quum enim decretoria hora venit, detrahitur perſona, res agitur, & ſi Deo conciliatus homo eſt, in cæleſtes ſedes transſcribitur, vbi vita ſine morte, gaudia ſine metu doloris, ac ſine vlla perturbatione ſunt permanentque perpetuo. Ad hæc translatus eſt beatiſſimus noſter

ster FVCHSIVS, postquam vitæ fabulam præclare commodeque per omnes actus absoluerat: qui in maius nunc & illustrius theatrum productus personam inter cælites agit non fabulosam & aliquando deponendam, sed veram & æternitate inter cælestes plausus perfectissime repræsentandam. Quapropter quod nostri muneris est, gratulamini, Auditores, felicitati, qua exsultat ille ac triumphat: & vitæ apud nos illustribus meritis peractæ, ad vnum omnes applaudite: memoriam autem eius, nominisque gloriam in animis vestris æternum conseruate. Sic virtuti sua præmia constabunt: sic alii ad gloriam virtutis via & ingenio, tanti VIRI exemplo incitati, contendent, etiam peruenient.



ORA-

ORATIO XIV.
DE
MELIORIBVS LITTERIS RESTITVENDIS
SVB INITIVM
COLLEGII ELEGANTIORIS LITTERATVRAE,
IN
FRIDERICIANA ACADEMIA
SERENISSIMIS AVSPICIIS
CONSTITVTI,
PVBLICE HABITA
PRID. NON. IAN. cIɔ Iɔc. xcvii.

ITa vobis omnia velim eueniant, AVDITORES, vt nudius quartus ſub anni auſpicium, quod Deus felix & fauſtum eſſe iubeat, gratulabundi omnes inuicem precati a Deo immortali ſumus. Quod ſi conſequuti fuerimus, vt optamus, vt ſperamus, bene nobis omnibus erit, bene huic Fridericianæ Academiæ, bene

bene ſingulis in ea, & ſingulorum quoque ſtudiis & ipſis ſtudiorum præſidiis ac incrementis. Precati enim ſumus ſalutem PRINCIPIS O.M. qua communis ſalus continetur: precati ſumus ſalutem magnificentiſſimi RECTORIS noſtri, ſereniſſimi iuuentutis PRINCIPIS, in quo ſpes publica futuræ tranquillitatis floreſcit: precati ſumus illuſtrium CVRATORVM, aliorumque, qui circa ELECTOREM ſunt arcanorum omnium participes, ſine offenſa fortunæ conſtantem incolumitatem. Hos enim ſaluos vna cum PRINCIPE ſi habemus, nihil omnino deſperandum eſt, & ſalua res noſtra ſingulorum erit, ac ſalua res publica Academiæ, cuius in eo, poſt ſalutem tanti PRINCIPIS & ſeruatoris ſui, ſumma ſalus continetur, vt concordi tranquillitate omnes litterarum ſtudiis, & quisque ſuæ profeſſioni operam det, ſuique muneris limite contentus pacem alat atque amicitiam, & ad publicum magis, quam ad ſuum commodum, ſuos actus, ſua ſtudia & conatus omnes referat; vt illuſtris & nobiliſſimus ordo iuuentutis etiam, quod ſuum eſt, induſtrie faciat, hoc eſt legibus parendo, virtuti poſtponat voluptates & res ludicras, ac vbique ſe ita gerat, vt exſpectationi parentum, propinquorum, ſuorumque ciuium, patriæ denique ipſi ſatisfaciat, quod ita futurum eſſe confido, vt incremento ſtudiorum increſcat gloria Academiæ, eaque exteri adducti, frequentius ſuos huc ablegent, quum viderint approbauerintque, eam hinc ſapientiam

tiam

tiam virtutemque bono publico peti, quam non facile in locis aliis & litterarum domiciliis inueniant. Hoc obtineri posse, ac gloriam Academiæ in maius ampliusque promoueri, non est quod dubitemus, si modo quisque veram eruditionem & viam, qua ad illam peruenitur, apud animum suum constitutam habeat, & suis etiam eandem fideliter ostendat. Cuius ad gloriam progressus ducem maximum habemus, serenissimum & sapientissimum Principem FRIDERICVM III, Marchionem & Electorem Brandenburgicum, nostrum DOMINVM clementissimum, in Fridericianæ suæ salutem & incrementum paternis curis suis quam maxime intentum, cuius mandatis si parebimus, non parum momenti ad incrementum Academiæ adferetur. Mandatorum quæ ad florem studiorum pertinent, prope vltimum & admodum recens illud est, quod, si ex vsu reipublicæ iudicetur, facile primum atque præcipuum censeri debet, esse nempe iuuentutis studia ita in hoc Lyceo ordinanda, vt ante omnia fundamento prospiciatur, cui structura imponenda sit disciplinarum omnium. Huic enim firmato & diligentius emunito quidquid superstructum est, inconcussum perstat, & vim ac impetus dissentientium perfert, nec sibi modo, sed vniuersæ reipublicæ præsidio est & singulari ornamento. Hoc est, quod sapientissimus PRINCEPS noster in sua Academia constituit & perpetuo seruari iussit, *Collegium politioris doctrinæ*, siue *elegantium meliorumque*

rumque litterarum. Cuius exercitationem assiduam, quum clementissimus PRINCEPS mihi maiori ex parte imposuerit, antequam ad munus demandatum adgrediar, non ab re fore puto, aut a tempore hoc nostro alienum, si de clementissima tanti PRINCIPIS voluntate, & de vsu & praestantia saluberrimi instituti, in hoc splendido consessu aliquid praedixero, vt omnibus manifestum fiat, quos fructus ferat, & quae impedimenta, nisi remoueantur, illius salubritatem exstinguant. Vos vero, patres conscripti, & ceteri auditores splendidissimi, fauete quaeso dicenti de re, quae parua forsan nonnullis aut pluribus videtur, sapientioribus autem magna omnino est, & ex qua momentum pendet disciplinarum omnium, etiam ornatus & praesidium litterarum. Dicam vero non verbis ad legem compositis, aut accuratiore tractationis delectu, sed vt aliud ex alio in mentem mihi venerit, atque res ipsa, quae plana & enodis est, simplicitate se sua memoriae meae suggesserit: & breuiter dicam, ne in re non omnibus grata, beneuolentiam, quam spero, longiori sermone impediam aut ipsemet interuertam.

Decus quondam Academiae Lugdunensis Petrus Cunaeus, summus aeque iuris consultus & orator perfectissimus, Academiam illam Batauorum dicit elegantiarum omnium sedem, litterarum domicilium, Musarum ac Gratiarum augustissimum esse sacrarium. Recte sensit vir clarissimus, & propitio Deo iudicauit. Illae enim sunt praestantes

academiæ, quibus humanitatis studia, ex quibus gratia & lepos omnis est, non exulant neque inde proscripta sunt, sed vigent, florent, & benignius ad fructum copiose faciendum refouentur. Ceteræ disciplinæ durum aliquid & horridum sonant, quæ nisi elegantioribus emolliantur, parum valent ad morum vitæque mitigandam asperitatem. Humanitatis caussa constitutæ sunt Academiæ, quæ id nunquam, cuius gratia sunt, labore vllo adsequentur, nisi disciplinæ illæ cum ceteris studiis coniungantur, quæ nomen habent ab culta illa & eleganti humanitate. Per hoc creuit Batauorum gloria, quod artes & scientias non illo inculto modo & horrente tradebant, qui in aliis nationibus plerisque ex barbaris sæculis relictus erat; sed ad antiquum litterarum cultum & elegantiam atque nitorem, quæ omnium disciplinarum fundamenta sunt, suam doctrinam, sua reuocabant omnia. Quod in caussa fuit felicissima, vt ex omnibus regionibus Europæ, & ex disiunctissimis terris, tanquam ad sapientiæ & bonæ mentis arcem, magnus quotidie concursus ab iis fieret in Batauorum Lugdunensem, qui doctrinæ melioris & incorruptæ antiquitatis exemplum & imaginem petebant. Nos quoque, splendidissimi auditores, ad Batauorum gloriam peruenimus, si illustre exemplum imitati, non ad res nudas ac horridulas, sed ad elegantiam simul, & cultum nitidiorem, animum conuertemus, præsertim quum manifestum sit, cum ornatu illo coniunctum esse quod vnicum est artium & disciplinarum fundamentum. In ceteris rebus omni-

omnibus, in corporis cultu, in victu, vestitu, squalorem ac situm deuitamus: ornatum contra & elegantiam diligimus, eaque generosiores mentes a sequioribus distinctas separatasque volumus: negligentiam vero huius cultus, humilioris animi, aut sordidi etiam, signum interpretamur. Quod si in aliis rebus mundiciem amamus, & laudabiliter amamus; cur minus illam curamus in studiis, ne & illa ornatiora efficiantur? Quo præstantior animus est corpore, hoc maiori curæ debet esse illius, quam huius, cultura; illius, quam huius, ornamentum. At vero scientiis animus noster excolitur, liberalibus studiis nutritur, & a nitore litterarum suum quoque cultum, suum nitorem accipit. Si quis vero tam parui animi sit, vt nihil sibi esse discendum putet, ex quo non illico fœnus & magnum lucrum capiat; hunc dico gemino errore implicatum deceptumque esse. Nobiliora enim sunt cuncta litterarum studia, quam vt lucri sortibus aut quæstui exercendo inseruiant; & digni opificio illiberali sunt, qui id tãtum animo intẽdunt, quod infra illius nobilitatem est, & ex sordida quaqua re copiosius captari potest. Deinde etiam in eo falluntur illi homines, quod sua vtilitate destitui credunt, quæ omnium studiorum sunt vtilissima. Quis enim ita ignarus rerum est, vt fundamentum & vtile & necessarium esse nesciat? sine quo quidquid exstruxeritis, non consistet diu, sed corruet, si vel leniori tempestate concutietur. Iam vero ea studia, quæ humaniora appellamus, ceterorum omnium vel fundamentum

vel apparatum necessarium esse, certe præsidium & fundamentum; nemo ibit infitias, nisi rudis illorum & expers omnis humanitatis, qui quæ nunquam attigit liberaliora studia, & quos fructus opimos ferant, penitus ignorat, de iis si quid iudicat, temere & præcipitanter iudicari oportet. Quorum iudicium non maioris faciendum est quam illorum, qui sensuum adfecti stupore non possunt cibos gustare, aut dulce ab amaro, sapidum ab insipido fatuoque discernere. Sunt vbique terrarum, qui aliter censent, ac benignius iudicant, & his, quæ commendo studiis, primas omnino deferunt, quia cunctis ceteris non solum ornamentum dant, sed præsidium etiam & stabilitatem adferunt. Exemplis conuincendi sunt, qui verbis habere fidem nolunt. Vidimus heic & aliis in Academiis veteranos sæpe studiorum sectatores, & vt sibi & aliis videbantur non parum laboriosos, qui in disciplina, cui se quisque addixerat, non mediocriter versati aut progressi etiam videbantur: hi quum vel publice vel priuatim aliquid dicendum fuit, quam trepidanter hæsitarunt, & quæ scire nemo dubitabat, male nihilominus proferebant, aut si loquaciores natura erant, ita turbabant, confundebant omnia, vt se ipsi non intelligerent nedum ab aliis intelligerentur. Quam contra distincte, ornate, illuminate sua pronunciant, qui elegantioribus literis nutriti ad omnia grauiora studia se ab adolescentia præparauerunt? Si quid explicatius dicendum est, dicendi facultas suppetit, qua puris,

qua

qua elegantibus verbis & ſententiis edifferant: ſi quid illuſtrandum ex hiſtoriis, vnde lux omnium rerum humanarum eſt; ex ordine geſtorum, ex ſerie temporum, & conſuetudine ſæculorum, quæ inſtar legis eſt, & ex antiquis ritibus exponunt ſua, declarant, illuminant, & quia rationalis diſciplinæ non imperiti ſunt, argutis concluſiunculis probare & confirmare ſua, & deſtruere aliena, tam ſcire quam expedite cum vi & efficacia poſſunt. Si quid ſcribendum eſt, quod ætatem ferat, quod patronis placeat,quod omnium fauorem conciliet;ſolæ litteræ, quas laudamus,ſunt,quæ rem admirandi effectus perficiunt, vt trahant retrahantque animos, quoquo verſus voluerint;vt elegantia ſtili commendatius faciant, ſi quid aſperum per ſe aut iniucundum videatur. Quid quæritis,auditores? egregie ſe vindicant bonæ litteræ in ſui contemtoribus, nec modo adoleſcentiam illorum, ſed omnem quoque ætatem vlciſcuntur, dum pueris deridendos præbent, ſi contra leges, quas deſpicatui habent, ſe barbariſmis & ſolœciſmis contaminant. Cetera quæ incurrunt mala, quod odioſa res eſt enarrare, ne quis in exprobrationem vertat, lubens iam prætereo. Ciceronis vox eſt, omnes trahi laudis ſtudio, & optimum quemque quam maxime gloria duci. Abſit vero, vt patrocinium ambitioni quæram, quam exſecror atque deteſtor: illam laudem & gloriam intelligo, quæ & rerum bene geſtarum prœmium eſt, & in poſterum gerendarum nouum incitamentum, quam ſane, vt virtuti connexam, ne-

nemo sapiens facile improbauerit. Nulla vero est disciplina, quæ ita per gentes famam ac nationes profert, vt studium elegantiorum litterarum. Harum cultores quamuis semibarbari multi in Germania contemnant, amant tamen Itali, in pretio habent Belgæ, Britanni admirantur, colit nunc Septentrio, nec Galli, quamuis inter bella & certamina cum nostris, despiciunt illos, sed, quod æquum est, de illis illorumque studiis indicant. Hæ alæ sunt, quibus & aliæ disciplinæ se prouehunt, & exteris se commendant: sine iis subsidunt grauitate, nec longius, aut vltra fines patriæ propelli facile possunt. Sic etiam fama colentium vtrumque studium est: illorum sine terminis vagatur; horum plerumque angustiori coartatur limite. Non ignoro equidem esse plures, qui me non intelligant, aut nesciant quæ Musæ elegantiores sint, quæ vera fundamenta omnium disciplinarum. Qui excusatione mihi digni videntur, si simpliciter illud ignorant, aut suorum culpa præter viam meliorem transuecti abductique in studiis fuerunt. Si sciunt quodammodo meliora, sed desidia negligunt, aut proterue contemnunt; ii censuram profecto, quam sapientiores agunt, pro merito suo incurrent, & vltionem subibunt dignam contemtoribus Musarum. Sed ad prius genus, de quo spes est melioris profectus, reuertor, in quo plerosque esse video, quorum vicem doleam, quod non ducti ad meliora in adolescentia fuerunt, vt eas litteras cognoscerent, quæ fundamentum

sunt

ſunt omnis doctrinæ, quæ gratiam addunt ſeuerioribus diſciplinis, quæ iuuentutem alunt, & ſenectutem oblectant, quæ ceteris ſtudiorum generibus & firmo ſunt præſidio, & ſingulari in vtraque fortuna ornamento. Hi vt intelligant, quæ voluntas ſapientisſimi noſtri PRINCIPIS & DOMINI ſit indulgentisſimi; vt cognoſcant, quæ ſtudia in ELECTORALI AVLA maximi fiant, & ab ipſis ſummis in ea ac illuſtribus VIRIS percolantur; vt etiam non ignorent, qua via inire gratiam clementiamque a tanto PRINCIPE, quo ſtudio MAECENATVM, qui in AVLA ſunt, fauorem mereri posſint; explicabo breuiter, quæ ſint illæ humaniores litteræ ac diſciplinæ, quæ tantopere vobis, iuuenes nobiliſſimi, a maximo PRINCIPE, a ſummis VIRIS & arcanorum conſciis ac moderatoribus commendantur. Poſſim id ampliſſimis verbis & multis laudibus enarrare, niſi mea me modeſtia reuocaret, quia in vtramque profeſſionem meam incidunt. Vt rem compendii faciam, vtramque dico profesſionem meam, mihi ab initio Academiæ clementisſime demandatam, commendari, quarum altera dicendi facultatem docet, altera prudentiæ ciuilis ex hiſtoria fundamentum verum ponit, confirmat, atque conſeruat: vtraque autem ita comparata eſt, vt neutra ab altera ſeparari poſſit, ſed vtraque cum ad ornatum & elegantiam, tum, quod maximi æſtimandum eſt, ad omnium diſci-

 pli-

plinarum. stabilimentum conferat. Non dicam, quanti eloquentiam Romani eorumque principes viri fecerint, quo pacto M. Tullius ad praeturam vsque, hoc est, ad quadragesimum aetatis annum se declamando exercuerit, senex in eodem studio designatos COSS. Pansam atque Hirtium, quos grandes praetextatos per iocum appellabat, instituerit: nec dicam quid ciuili bello Pompeius M. in litteris hisce egerit, quid Mutinensi Octauianus Caesar, & quos praeterea Suetonius de Claris Rhetoribus commendat; de his, inquam, nihil dico, ne quis aliud tempus, alium vsum rerum mihi obiiciat, qui vero non penitus est alius, sed cum renatis litteris auorum memoria restitutus, & ad nostra tempora magis magisque accommodatus. Hi fere sunt illi scopuli ad quos adhuc iuuentus obhaesit, vel tanquam naufragium passura, procul inde quasi velis remisque aufugit. Vultis caussam audire rei prope incredibilis? Nolite credere, auditores, eum, qui de re omni proposita bene diserteque dicturus aut scripturus est, ieiunum rhetorem aut grammatistam esse aut litterarum tantummodo praegustatorem. Opus est, vt idem sit multiplici scientia instructus, quae consummare laudem hominis possit doctissimi. Non desunt qui epistolae scribendae artem, aut compingendae orationis a nobis expetant: quibus si proponuntur, quae opus sunt comparandae facultati; aut recusant laborem illum subire, aut si aegre subeunt tanquam canis ex Nilo bibens ocius opinione recurrunt. Non sunt oratoriae institutiones,

nes, vt ceterarum professionum, quarum fructus solo auditu percipi, aut ratiocinatione poteſt digeri & applicari. Labore opus eſt, & lectione multa, & excerptis variis, ac crebra imitatione. Si vultis diſtinctius eloquentiæ apparatum cognoſcere, dicam, vt ſentio, vt probatum experimentis habeo. Ad comparandam eloquentiam aliquis orator adhibeatur, hiſtorici legantur, etiam ii conſulantur crebrius, qui veterum more philoſophiam tradiderunt, vt inter Latinos M. Tullius & M. Annæus Seneca illuſtri nobis exemplo ſunt & præclariſſimo documento. Horum lectione, imitatione, ſtilus parandus eſt, vt orator ornatum adferat, hiſtoricus res ſuppeditet, philoſophus rerum augeat amplificationem. Illam enim de adfectibus doctrinam, de animi characteribus, de formis ingeniorum, de gentium moribus, de virtutibus & officio hominis, & quæ his aduerſa ſunt, & alia neceſſaria oratori, philoſophiæ iam laudatæ munus ſunt. Inane dicendi ſtudium eſt, quod ex nudis verbis, plerumque turgidis & ſequipedalibus, conglomeratur. Res oportet verbis ſubeſſe, ne materia ſua deſtituatur oratio. Idcirco hiſtoriæ in primis ad eloquentiam conferunt, antiquæ præſertim, ab antiquis ingeniis ſignatæ & compoſitæ, quas qui legit; & rebus locupletatur, & augetur ſermonis elegantia, quæ Latinis ineſt ſcriptoribus. Hunc apparatum ſi adoleſcentibus oſtendo, horrent, ſubterfugiunt, quaſi monſtra oculis & terriculamenta obiecta fuiſſent. Non miror. non aliter

enim ducti a suis magistris sunt, qui sæpe ipsi ignorant, quæ via sequenda sit, vt ad elegantiores Musas & ad eloquentiam perueniatur. Accedit spes parentum festinata, qui curas suas præcipitant, nec filios ad veram doctrinam capessendam, sed ad vmbram illius, seu id quod in superficie apparet, consectandum adhortantur, in sordido & illiberali lucro spem omnem collocantes. Nec missos in Academiam philosopho commendant, aut qui humaniores docet litteras; (tantam enim moram non fert impatientia illorum) sed supremarum disciplinarum penetralia inuolare iubent, vt citius reuertantur ex academia, & honores nescio quos, elapsuros forsan nisi præoccupentur, capessituri possint petere. Hi si quando optant sibi dicendi scribendique facultatem, ita obruti per totum diem collegiis intempestiuis sunt, & corporis exercitationibus, vt ne horula supersit vlla, nisi nocturna forsan, quam stilo dent; at minus spatii, quod legendo auctori alicui, aut imitando impendant. Vnde fieri solet, vt exercitia oratoria & epistolica plerumque infructuosa sint, quod animus aliis rebus occupatus fatigatusque non capit tantum ingenui laboris, quantus in hoc studio colendo postulatur, cuius apparatum quia non intelligunt; eis nec cupiditas est ignotæ rei, neque alacritas exercitationi necessaria. Nec tamen vnquam destiti hoc bonum omnibus offerre, licet pauci admodum sint, qui illud in vsum suum exceperint. Nec felicior in altera mea professione sum, quæ itidem ad

ele-

elegantiores Musas & politiorem litteraturam adducit. Multos enim hæc opinio inuasit, vel ab inuidis & maleuolis ita persuasos, vel sua rei optimæ vtilissimæque ignoratione deceptos; inutiles has prælectiones esse homini superioribus studiis intento, quod vetera tradam, recentiora exspectantibus, aut in verbis hæream nimia cura interpretandis, nec videar cum gratia iucunditateque docere. Nouum crimen, auditores, & ante hunc diem inauditum, quod quia ab iis obiicitur, qui me vel nunquam audiuerunt, vel si quando hospites in collegio fuerunt, quod imparati prorsus accesserant; id, quod vtilissimum est, atque etiam pernecessarium, non intellexerunt. Vetera trado & antiqua; fateor: neque vero nouorum vnquam obliuiscor, qui proxima æstate historiam nouam superioris & nostri sæculi, eamque tam sacram quam ciuilem, exposui publice. Germaniæ autem historiam non semel ex hoc loco explicaui, & nunc iterum explico, sequenti hebdomade alteram eius nobilioremque partem (nam eo vsque perueni) a Carolo M. auspicaturus, deducendam ante vernas nundinas ad nostra vsque tempora. Sed cur ita inuisa est antiquitas, Romana certe, in qua explananda sum assiduus? plurimos vestrum ciuili scio prudentiæ addictos. At vero nulla vsquam respublica, nulla ciuitas fuit, in quam plus sibi fortuna permisit, quam in illam, vt Martialis ait, terrarum deam gentiumque Romam, cui par est nihil &

ni-

nihil secundum. Huius sane ciuitatis prospera & aduersa didicisse, quae vita ciuium, qui mores fuerint, per quos viros, quibusque artibus domi militiaeque & partum olim & auctum sit imperium, quod amplissimum in orbe terrarum fuit; si quid creditis mihi, auditores, ea non postrema pars & ciuilis & elegantioris eruditionis est. Ex his studiis & similibus horum, vester Hugo Grotius, quem magni facitis, & merito quidem eius, immensam suam doctrinam hausit, quam de pacis & belli iure prodidit: ex his ciuilis prudentiae & moralis philosophiae fundamenta sapientissimus quisque sumsit: ex his vtriusque documenta clariora excipiuntur, quia quod alii praeceptis; hi exemplis & experimentis tradunt, quibus confirmant fieri posse, quod alii praecipiunt; aut vitari, quod prohibent & detestantur. Quid de iure ciuili & legibus dicam Romanis? nonne curatius legis cuiusque sensum indagamus, si ad illa tempora & statum reipublicae referimus, sub quo illae latae & promulgatae fuerunt? Ibi enim caussas, quae impulerint legislatorem, vt ita censeret, inuenimus. Vt vero multum momenti in caussa omnis rei situm est, sic etiam in legis vniuscuiusque ratione; vt neque antiquam Romanorum historiam nihil conferre ad legum interpretationem dicendum sit. Sed in verbis me inhaerere aiunt. Ita est, auditores, atque ita etiam decet Latinitatis & eloquentiae professorem. Coniunctissima sunt mea munia, & alterum altero explicatur, & cum

cum nuper Germanicam historiam a principio & Cimbrico bello exposui, vsus ad id fui, vt necesse erat, optimo quoque scriptore, C. Iulio Cæsare, Corn. Tacito, Velleio Paterculo, L. Floro, Fl. Eutropio, Liuiana Epitoma, & ex singulis magnas sæpe partes interpretabar, nec minus Latinitatis, quæ purissime se offerebat, quam rerum & historiarum habebam rationem. Iam Plinii panegyricum, Traiano imperatori dictum, publicis lectionibus interpretari cœpi, aut ad partem deduxi fere mediam, qui liber arti oratoriæ tam verborum delectu ac nitore, quam mensura periodorum cum primis inseruit: nec vero ista oratoris arte, aut etiam Latinitate, quam clarissime propono, auctoris circumscripta aut terminata est vtilitas. Latius excurrit in Romanas antiquitates, & in ciuilem prudentiam, & in ius ipsum quoque Romanorum ciuile. Nam tota illa oratio perpetua censura est Principis, & boni quidem cum malo comparatio, hoc est Traiani cum Domitiano. Prouoco ad pauciores testes (non enim erubesco paucitatem confiteri: an vero nec iis erubescendum sit, qui tam salubria parui pendunt, sapientioribus iudicandum relinquo) ad pauciores ergo illos prouoco, qui superiori hebdomade, ne longinquius tempus reducam, me publice audiuerunt, quam egregia de congiariis diuidundis, quam rara de donatiuis militum, quos ritus nemo sane luculentius, quam ille Plinius Secundus nobis reliquit: quam præclara de præfectu-

ctura morum, de censura principum, & id genus pluribus rebus proposuerim. Explicaui legem Voconiam, diuersas leges Iulias, copiosius autem vicesimarum legem, ab Augusto institutam, a successoribus corruptam, a Narua repurgatam quodammodo, in integrum restitutam a Traiano. Addebantur multa eodem auctore, quæ iuris sunt naturæ, & ad potestatem parentum in liberos pertinent. Nec iniucundum spectaculum erat, quod idem Plinius edebat, supplicium de delatoribus sumtum, quum vidimus hos pessimos homines, tanquam publicæ sollicitudinis victimas, ad lentas grauioresque pœnas abduci, in nauigia compingi, ventis & tempestatibus dari, vt abirent fugerentque vastatas delationibus terras; & qui multis exsilii ac deportationis caussa fuerant, nunc extorres ipsos, si seruasset procella, in scopulis hærere, & inhospitale litus colere, & relicta post tergum humani generis securitate, mœrere ac miseria excruciari. Hæc vero & similia num adeo indigna sunt, vt sperni ab iuris & ciuilis prudentiæ studiosis debeant? aut a paucis tantummodo exaudiri? Tales autem obseruationes quotidie notamus, explicamus. Nam vbi etiam in Latinis lectionibus occurrunt, quæ vsum in alia disciplina habent, consistimus paulisper, & fecunditatem auctorum veterum demonstramus. Miramini vero auditores, quo consilio fiat, vt vtilissimæ Romanorum antiquitates tanto odio deuitent fugiantque adolescentes, quum alibi magno

con-

concurſu inutilia & monſtroſa barbarorum nomina, vt veterum Danorum in Britannia, aut antiquiſſimorum in Hiſpania regum, quos Annius nobis Viterbienſis finxit, excipiant, vnde nihil ad ius publicum priuatumue, aut ad ciuilem prudentiam, qua barbari caruerunt, excerpi poteſt aut colligi. Sed non obſcura huius rei poteſt cauſſa eſſe. Plus laboris aut maior præparatio ad Romanam hiſtoriam, ex antiquis & claſſicis auctoribus eruendam, eſt neceſſaria. Ingratum autem multis eſt quod laboris aliquid inſueti habet, quamuis illum non ingrata vtilitate repenſet. Hinc eſt, quod inſuaues multis & iniucundæ meæ lectiones ſint, quia me, quantalibet vultis, & ſuauitate & perſpicuitate docentem, non intelligunt: ii autem ſoli non intelligunt, qui vel nulla, vel perexigua Latinitatis & antiquitatum fundamenta poſuerunt; cuius rei culpa non tam in ipſos, quam in ductores illorum redundat, qui & ipſi fortaſſis elegantiarum & cultioris doctrinæ vel rudes fuerunt, vel parce nimis ac modice periti. Agite vero, generoſa pectora, animum ne abiicite, induſtriam modo ſpondete: Suppleri penſarique poteſt, quod huc vſque tam ab aliis, quam a vobis negligentia eſt prætermiſſum: operam vobis addico meam. Adhuc ſex horis per hebdomadem publice trado has litteras elegantiores: tradam totidem aliis horis, atque etiam publice, ſi cupidiores vos, & maiori fre-

quen-

quentia cognouero. Hæ enim ſunt illæ meliores litteræ, quas tantopere ſapientiſſimus PRINCEPS, & vſu rerum exercitatiſſimi CONSILIARII Eius commendant, & ad illas præmiis inuitant ac adliciunt, futurum videlicet eſſe, vt hi præ ceteris reipublicæ præficiantur, & honores, quantos ſtudiis meruerint, in Brandenburgicis regionibus capeſſent. Agite cariſſimi iuuenes, amplectimini beneficium quod offertur, occaſionem tam commodam, tam opportunam, nolite negligere. Si quid triginta annorum vſu poſſum, quod forſan alia ætas nondum capit, vt breuiter, & perſpicue, atque etiam cum ſuauitate doceam; id omne in commodum veſtrum, in augendum decus veſtrum & ornamentum confero. Veſtram ſalutem propoſitam mihi habeo: veſtram publicam priuatæ meæ antepono, non vnquam commiſſurus, quantum in me erit, vt ſereniſſimum ELECTOREM, noſtrum omnium & patriæ parentem, qui & hoc beneficio ſe patrem communem præſtat; & illuſtriſſimos AVLAE PROCERES ſpes magna, quam de hoc collegio habent, deſtituat atque fruſtretur. Vos modo ſedulitate veſtra perficite, ne illi fraudentur aut eludantur, quam ſummam impietatem a vobis, quod vnice precor, Deus, ille rector ductorque animorum, procul abeſſe iubeat. Finem dicendi facerem, niſi vnum reſtaret, quod nolim vos ignorare. De ſtudio, de labore, quem elegantium cultura litterarum poſcit, iam multa dixi, & vereor,

vereor ne nimium dixisse videar, quia laborem formidant adolescentes; voluptate ad quoduis suscipiendum adliciuntur. At huius rei ita comparata ratio, vt omnium pulcherrimarum est, quæ initium duriusculum habent, processum molliorem, exitum mirifice lætum atque iucundum. Neque ipsum initium ita difficile ac impeditum est, vt industria superari non possit, præsertim si adsit, qui ducat, qui manu leuet, qui regat vacillantes, &, quod præcipuum est, compendio ad planiora perducat, atque ex ipsa litterarum amœnitate in dies iucundiora omnia efficiat. Hunc me ducem vobis profiteor, nec deerunt collegæ coniunctissimi: vos modo sequimini præeuntem, & adfirmanti credite, eam harum litterarum esse suauitatem, vt, qui vere illam degustauerit, citius cetera cuncta possit, quam hæc studia deserere. Succedite, tentate; neminem obsequii aut operæ pœnitebit.



* ORATIO XV.

FRIDERICO III MARCHIONI BRANDENBVRGICO, S. ROM. IMPERII ARCHICAMERARIO, CETERA,

DE NATALI XXXIX

FAVSTIS SIDERIBVS CALEND. IVL. cIↃIↃCXCV EXORTO,

HABITA.

QVod superiori año precati a Deo immortali sumus, vt æquabili fortunæ cursu incolumitas PATRIS PATRIÆ, & securitas publica cum incremento Academiæ conseruaretur; eius deuotionis nos diuino beneficio conuictos esse, ad vnum omnes maximopere lætamur, Auditores. Illuxerunt enim Calendæ Iuliæ, dies vtique candidissimo calculo prænotandus, quod geminum nobis natalem & FRIDERICI III, magni Principis ac Electoris,

* *Oratio hæc serius ad nos submissa fuit: quo nomine extremum locum hunc obtinet.*

ris, & non minus indulgentisſimi patris quam æquiſſimi domini, noſtri: & FRIDERICIANAE ACADEMIAE, illius in bonas litteras & liberales diſciplinas ſingulari amore progenitæ, repræſentant. Quod ſi iucundus parentibus primus liberorum natalis eſt: quanto iucundior erit anniuerſaria ſolennitate repetitus, præſertim ſi lætior euentus approbauit, quæ votis antea & precibus noſtris ſperaueramus, quia naſcendi incerta conditio: certiſſima autem conſeruationis lætitia eſt. Iuſtas itaque rationes habemus & pietati conſentaneas, vt diem hunc inter precationes & gratulationes tranſigamus, & annale munus non Genio, quod Romani faciebant, ſed Deo Soſpitatori ſoluentes, ea omnia dicamus faciamusque, quæ boni fauſtique ominis eſſe, & ſpem futuræ felicitatis augere & conſeruare nobis videntur. Aequa beneficiorum æſtimatio eſt, ſi ad fontem, vnde manarunt, pio gratoque animo referuntur. Quis vero ita alienus ab ſenſu humanitatis eſt, vt Principis incolumitatem, vt tranquillitatem publicam, vt Academiæ ſalutem & incrementum neſciat diuina munera eſſe, & cælo vnice, vnde venerunt, imputanda? Pietas ergo exigit, vt quæ vota ſuperiori tempore nuncupauimus pro ſalute sereniſſimi PATRIAE PATRIS, pro incolumitate AVGVSTAE FAMILIAE, pro Academiæ etiam, communi natali connexæ, felicitate & incremento; ea nunc pie deuoteque exſoluamus, Deo immortali gratias agentes, cuius beneficio tantam proſperitatem debemus: & dignis iſtum

laudibus prædicantes, cuius virtute & ingenio Deus vti voluit, vt tam eximia bona nostræ patriæ, nostræ Academiæ obuenirent, quo grata acceptorum memoria idem inuitatus pergat bonitatem suam indulgere, atque temporum, qua vsi sumus, felicitatem in futurum etiam proferre, & beneficiis suis, quæ sola videtur superesse, adiicere perennitatem. Hoc alterum munus est, quod hodie nos peragere decet, vt futuris etiam temporibus prospiciamus, hoc est, conceptis verbis atque solennibus formulis vota noua nuncupemus, & a Deo supplices precemur, vt optimi Principis, & Electoralis Domus, ac dulcissimæ patriæ, & huius etiam Fridericianæ incolumitatem conseruet & identidem augeat. Adfuit Deus superioris anni votis nostris, & felicissimo euentu eadem approbauit. Bene ergo de futuro speremus, fore itidem cælesti benignitate, vt, qui altero vertente anno superstites erimus, vbertatem diuinæ bonitatis prædicemus, quum nouis beneficiis, noua Principis & subiectorum felicitate nos ornatos fuisse intellexerimus. Spem hanc diuina bonitas sustentet, quæ obsequio nostro magis prouocetur, ne indigni tantis bonis videamur: quod itidem futurum esse, noua iam signa, noua Academiæ auspicia, quæ precor fausta & felicia sint, sperare iubent, vt nihil quidquam superesse videamus, quod de fructu officii nostri & deuotæ gratulationis dubios nos possit reddere. Vna cura & difficultas me circumstat, quod vereor, vt digna mihi tanto

Prin-

Principe oratio contingat, quæ quam longius abest ab ingenio meo, eo certius in clementia eiusdem, quem laudaturus sum, confido, cuius in eo quoque magna & inusitata gloria est, quod nihil sibi ambitiose tribui, nihil fingi, aut supra quam res est blandimentis verborum attolli cupiat. Tanta & tam numerosa illius virtus est, tanta rerum gestarum gloria, vt vel nuda earum enarratio aliorum fictas & cum ambitu quæsitas laudes supergrediatur, nec dicenti de illo mihi deesse possit veræ laudis fecunda & fertilis materia.

Intelligamus ergo bona nostra, Auditores, & quanta sit felicitas, bono Principe vti, secreta quisque animi æstimatione pensitemus. Alias terras, quæso, alia tempora cogitate, vbi gemunt homines libertate oppressa, nec variæ virtutis documentum, sed solius patientiæ dant, quod pietas, fides, iustitia & ceteræ bonæ artes, quas optimus quisque colit, si non exsulare iubentur, ita tamen depressæ atque contemtæ iacent, vt erigere se humo ægre possint, dum cuncta virtutis præmia ambitione possidentur, vel ineptis & indignis plerumque conferuntur. O ergo felices regiones Brandenburgicas, vbi res alibi dissociabiles, principatus & libertas, ita suauiter miscentur, vt quotidie felicitatem imperii FRIDERICVS Elector augeat, nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur in dies maius atque maius adsumat. Stant virtuti sua præmia, sunt artes liberales in honore, iuste ac moderate aguntur omnia quæ publico nomine fiunt, fruitur quisque,

qua decet, libertate, quisque officium suum non impeditus poteſt obire, vt de temporum felicitate cur nobis gratulemur, vtique iuſtas rationes habeamus. Tanta bona Deo auſpici & ſummo auctori, quod nemo negauerit, debemus: nec vero ignotum poteſt eſſe, per quem Deus ſua munera diſpenſet, cuius animum ita conſilio, ſapientia, & prudentia inſtruat, vt quod pulchrum & honeſtum eſt, vnice cogitet: quod publicam vtilitatem fert, & auget ſecuritatem; ſtrenue perficiat, perfectum ornet & amplificet quotidie. Quidquid huius felicitatis eſt, non ex longinquo arceſſemus, aut ex occulto contactu ſiderum, aut quas alii rationes vtriusque fortunæ rebuspublicis adfingunt. Clara nobis & in aperto poſita ſunt omnia, talem vnamquamque eſſe rempublicam, qualis eſt ipſe, qui illam moderatur, qui ſi pius eſt, ſi eruditus & amans litterarum, ſi abſtinens voluptatum eſt, quæ non facile ab ampla fortuna auelluntur: ita, inquam, ſi animo adfectus eſt auſpice & auctore Deo; næ is eximios fructus & grandem vtilitatem ad rem publicam adferat oportet. Non enim exigua res eſt, a teneris pietate imbutum eſſe, ac ex doctrinæ diſciplinis noſſe, quid præſtantiſſimum ſit bonorum omnium, quod officium imperantes, quod parentes obſequium deceat, quibus virtutibus ſtabiliri respublica, quibus vitiis contra moueri loco illa aut euerti poſſit. Quæ omnia egregie tradita & in poſteritatis vſum relicta per eos ſunt, qui Prin-

cipum

cipum res geſtas litterarum monimentis conſignarunt, aut de virtute ac officiis diſſeruerunt, quorum præceptis atque monitis qui animum ſuum impleuit,is ſane non vnius ætatis ſapientiam, ſed omnium ſæculorum; nec vnius & alterius hominis, ſed plurium, qui bonæ menti operam dederunt, intelligit. Et quum ipſe Princeps ſapientiæ addictus & litterarum ſtudiis imbutus eſt, id curæ ſibi in primis habet, vt ſui ſimiles, hoc eſt optimos quosque & ſapientiæ præceptis inſtitutos, rebusque gerendis apprime idoneos ſibi adminiſtros imperii legat, quorum conſiliis & prudentia fit, vt de inſtantibus veriſſime, & de futuris perſpicaciſſime iudicetur, & ex æquo, iuſto, bono, & vt ſalubre eſt rei publicæ, ſine mora, ſine offenſa expedite atque promte gerantur omnia. Videtis ſic, ſplendidiſſimi auditores,quantum interſit reipublicæ, bonum Principem habere, cuius virtute, prouidentia, ſapientia, nec non clementiſſima voluntate omnia reguntur, ordinantur, diſtribuuntur. Intelligitis etiam, ex quo fonte tantum bonum emanet, qui cum pietate litterarum amor, cultus, & benigna conſeruatio eſt,quæ ſingula in ſereniſſimo ELECTORE noſtro tam eximia & vere inuſitata ſunt, vt dubitari omnino poſſit, an inter Europæ Principes inueniatur, qui anteferri feliciſſima gubernatione, & vnde illa oritur, amore ſapientiæ poſſit, in quo ſtudii genere paucos eſſe exiſtimo, quos cum ingenio illius comparare his temporibus liceat.

Possem heic longius excurrere ac multis documentis illustrare, quo adfectu & singulari amore sapientissimus ELECTOR in studia litterarum sit, in quanto numero atque pretio illa ponat, quam benigne eadem ac illorum cultores foueat: possem, inquam, hæc pluribus declarare, nisi domesticum, idque illustrissimum exemplum, FRIDERICIANA ACADEMIA, abunde sufficiat ad Conditoris sui singularem in bonas litteras propensionem, fauorem atque studium luculentissime omnibus demonstrandum. Vbique gentium hi fere mores eorum sunt, quos benignum Numen in rebus lætioribus collocauit, vt magnos sumtus in scenicos ludos, in saltationes, in spectra pyrobolica, aut similes res leues atque euanidas effundant; a litterarum autem studiis plerumque alienati, ægre conseruent & parce nimis tueantur quæ maiores ipsorum ad augendum doctrinæ & disciplinarum cultum constituerunt. Noster serenissimus ELECTOR nihil earum rerum intermittit, quæ ad splendorem maiestatis faciunt, aut securitatem reipublicæ confirmant: litterarum autem studia cum primis fouet, suo vsu & maiorum etiam expertus, illas demum beatas esse respublicas, in quibus litterarum cultus diligentissime exerceatur, quia harum disciplinis mores hominum formantur, vt recte de rebus sentiant, & quod pulchrum honestumque est, præferant iis, quæ vel inuidiæ aliquid, vel ambitionis, vel turpis lucri & indecoræ voluptatis admixtum habent.

Quis

Quis credidiſſet, difficillimis hiſce temporibus, quibus pæne omnis Europa in armis eſt, illorumque magnam partem ipſe potentiſſimus noſter Elector præſtat, de augenda litteraria re & nouo Muſarum domicilio conſilia capi poſſe? cepit illa auſpicato FRIDERICVS III, & quum innumeræ difficultates eſſent, explicuit feliciter, & contra plurimorum opinionem, qui de euentu maximopere dubitabant, feliciſſime quoque perfecit, nec perfectum augere ac nouis acceſſionibus ornare etiam nunc deſiſtit.

Tempus admonet, quo conditum hoc Athenæum dixi, vt de bellicis etiam ſtudiis potentisſimi ELECTORIS dicam. Vt tempora ſunt & res mortalium, iniuriis ille Princeps patet, qui armis ſe & ditioni ſuæ ſubiectos non poteſt tueri. Ferrum Principem tuetur, & arma ſecuritatem populo præſtant. Multos quidem hæc opinio inſedit, molleſcere animos, nec fortes milites creari, vbi vigeant litterarum ſtudia. Non ita eſſe, Auditores, tam antiqua Romanorum, quam noſtra ætate Brandenburgicorum exempla oſtendunt. De illorum fortitudine pleni ſunt hiſtoricorum libri, qua amplisſimas prouincias & regna ſibi ſubiecerunt, eamque laudem tam apud poſteros, quam ſuæ ætatis homines conſequuti ſunt, vt omnium conſenſu orbis terrarum domini & populorum principes fuiſſe, ex egregiis facinoribus ſuis cenſeantur. Neque vero illud certum eſt, vtrum armis an litterarum ſtu-

 diis

diis imperium suum Romani magis confirmauerint. Legiones & classes ad proferendos fines profuisse non negamus: at hoc commune cum multis gentibus Romani habuerunt. Prouincias autem in officio continere, barbarorum mores ad humanitatem traducere, atque ita moderate imperare, vt victi mallent Romano populo parere, quam ad immanitatem pristinam spe libertatis, quantam vultis etiam, proposita, reuerti: hoc vero non armorum puto, sed litterarum atque disciplinæ fuisse, quibus instituti Romani, rudes animos tractare, feritate exuere, ad cultiorem vitam aduocare, præ cunctis populis didicerant. Circumspectis rationibus omnibus ita mecum statuo, & ita animum induco, Brandenburgicam Gentem in primis esse, quæ Romanam virtutem æmulata, doctrinam litterarum cum armis æqualiter coniungat, eoque temperamento felicitatem sibi, & gloriam apud posteros illustriorem ac immortalem pariat. Quantum ingenii culturæ sapientissimi ELECTORIS auspiciis impendatur, ex ante dictis luculentum esse arbitror: bellicas eiusdem curas & armorum potentiam quis esse potest, qui ignoret, quum contra tot hostes Germaniæ adhuc nulla insignis victoria parta fuerit, cuius non cum primis particeps exercitus Brandenburgicus esset.

Sed hæc non sola sunt, quamuis sunt maxima, quæ Brandenburgicæ Gentis felicitatem illustrant. Numerosior virtus serenissimi ELECTORIS est,

quam vt hisce limitibus circumscribi patiatur. Sapientiæ gloriam & bellicarum rerum famam iam audiuimus. Restat alia cura, PATRIS PATRIAE propria, qua, ne quid desit patriæ, quod ad commodum illius vel ornamentum faciat, vt diligentissimus pater prospicit. Nulli terræ natura omnia indulget, & quo magis in septentrionem vergit, eo minus habet, quibus ceteræ in austrum prospectantes lætantur. Quæ vero naturæ munera quibusdam regionibus negata sunt, suppleri arte, ac industria pensari possunt. Qua de causa variarum gentium commercia & nauigationes instituuntur, vt quibus singulæ bonis cæli munere abundant, ad aliarum quoque vsum haud magno sumtu nec difficillimo labore transferri possint. Quod quo rarius studium in Germania fuit, eo magis admiramur FRIDERICVM WILHELMVM Magnum, gloriosæ memoriæ Principem, qui longiores nauigationes, quam suetum antea fuerat, ex portubus suis instituit, & in Africam vsque produxit, etiam sub alio cælo & ignoto Germanis climate propugnacula muniuit, indeque quotannis diuitias sub alio Sole natas, in patriam nostram mirantibus cunctis reuexit; nec non amnes nauigabiles coniunxit, & alios non maximos nauigiorum patientes fecit. Gloriosum PARENTEM non modo sequitur FILIVS ac HERES serenissimus, sed omni studio etiam auget, quod a tanto Heroe bene atque e re publica cœptum fuerat, & id vbique

agit,

agit, vt ditioni suæ subiectis & mercaturam faciliorem reddat, & aliarum gentium bona tam nobis, quam sibi communia faciat, id quod huic ciuitati quoque & litterarum sedi futurum prodediem esse, non speramus modo omnes, sed plane etiam confidimus, postquam ingenti sumtu, & magnis molibus exstructis, Salam in dies magis magisque nauigabilem fieri videmus, vt sic neque augendis litterarum studiis, neque armis defendendæ communi patriæ, neque ciuium commodis in maius prouehendis quidquam deesse patiatur, sed vbique se cum sapientissimum Principem, tum fortissimum Defensorem, tum prouidentissimum Patrem patriæ præstet, eiusque commodis mirifico auctu amplificandis assiduus & indefessus studeat. Quæ quum ita sint, Auditores, non difficile ad iudicandum vnicuique est, quanta nos necessitas stringat, vt qui tam bonum, sapientem, fortem, ac prouidum Principem diuinitus obtigisse videmus, Deo auctori omnium bonarum rerum in primis gratias agamus, qui illum in nostram salutem & publicam vtilitatem per tot annos nobis seruauit; & pro futura eiusdem ac totius Domus Brandenburgicæ incolumitate votis, precibus supplicemus, vt muneribus suis Deus addat, quam omnes optamus, felicem & tranquillam inoffensæ fortunæ perpetuitatem. Magna omnino & regia cuncta sunt, quæ Deus AVGVSTAE ELECTORIS DOMVI concessit, vt maiora vix optari possint, quibus si moram

Deus

Deus & diuturnitatem adiecerit, cumulum bonis suis addidisse interpretabimur. Fac Deus optime maxime, vt frui diu bonis liceat, quæ indulgentia tua Electorali Domui, & vniuersæ patriæ, & nostræ etiam Academiæ indulsisti. Tuum munus est, quod fruimur; tuæ benignitatis sit, vt in posterum fruamur, vt diu perfruamur. Non te nostris votis distringimus, non multiplicia & numeris suis diuersa, pacem, securitatem, concordiam, opes, honores, oramus aut aliarum rerum adfluentiam: simplex & cuncta ista complexum vnum omnium votum est SALVS PRINCIPIS, qua potiti habebimus abunde, quæ mortali nostræ vitæ tum commoda sunt, tum etiam necessaria. Non noua petimus, sed antiquæ bonitatis tuæ perseuerationem, vt quod adhuc benignissime dedisti, non desinas precibus & votis nostris in posterum etiam dare. Da ætatem Electori, quam mereri omnium nostrum iudicio videtur: serua animum eius, quem dedisti, sapientia ornatum, robore Spiritus tui confirmatum, vt quod facit, alacriter & semper faciat, & de humano genere ac posteris bene mereatur. Sic vota, superiori anno concepta, laude bonitatis tuæ nunc grati & memores persoluimus: sic noua in futurum nuncupamus, persoluenda, si permiseris, circumacto anno, & natali hoc reuertente die. Quod a te permissum iri, eadem bonitate tua confisi speramus, quæ nunquam committet, vt preces nostræ infructuosæ sint, aut irrita vota,

tan-


tanto omnium consensu, tam sincero adfectu pro salute Principis nuncupata. Adnue Deus votis nostris, exaudi, quas fundimus, preces; sic nunquam cessabimus bonitatis tuæ laudes prædicare, obsequio & pietate memores beneficiorum esse, tam quæ dedisti, quam quæ daturus es, quod speramus, in posterum. TIBI vero, serenissime Elector, Princeps optime, omnes qui præsentes sumus, gratulamur, neque dubito, quin absentes idem, quod nos, & animo & adfectu pio faciant. TIBI gratulamur ita, vt nobis etiam gratulemur, qua Tua salus, nostra salus, Tua felicitas nostræ ingens accessio & incrementum est. Magna vtique & innumera bona sunt, quæ Deus in Te, Princeps magne, congessit, quibus maiora precari vix audemus, quod nec Tua sinit moderatio: at illorum perpetuitatem precari non dubitamus neque desinimus: nec sperare illam per cælestis clementiæ signa, subuereamur. TE, Princeps Elector, Deus seruet, vt diu bene merearis: cœpta tua & consilia secundet, vt publica felicitas conseruetur. Floreat AVGVSTA DOMVS TVA, vt florescat patriæ prosperitas: floreat excelsissima CONIVX, Domina nostra clementissima, vt in illius amore atque suauitate adquiescas: floreat serenissimus IVVENTVTIS PRINCEPS, Academiæ huius iterum RECTOR MAGNIFICENTISSIMVS, vt spes patriæ semper floreat, & ex illius flore suum vigorem Academia trahat, cui De-

Deus illum etiam hoc anno, quem auſpicamur, feliciter præeſſe iubeat. Floreant excelſa & ſereniſſima Capita, FILIA, FRATRES, SOROR, & omnes ſanguine, adfinitate, ſocietate coniuncti cum Domo Brandenburgica, vt ſalute ſingulorum vniuerſæ Gentis felicitas augeſcat, ſecuritas publica incrementum capiat, & in ſeros poſteros perenni ſtabilitate immobilis conſiſtat. Cæleſtium ingeniorum hæc indoles atque natura eſt, vt ſemper bene faciant, bene mereantur, in quo id ipſum agunt, quod origini ſuæ conueniens eſt, quia cælum, vnde venerunt, nunquam deſinit motu ſuo & virtute, quæ infra ſunt, fouere, nutrire, frugifera efficere, ac fulgentiſſimo ſidere illuſtrare, & ſalubritatem mirabili concordia atque conſenſu adferre. Hæc & Tua indoles eſt, Elector beneficentiſſime: hæc Tuorum ſemper ſit precamur, vt cæleſtem originem, cæleſtem benignitatem clementia & bene merendi voluntate, vt facitis, ſemper præferatis, & tot ſerenorum Capitum ſenſus atque ſtudia in Tua voluntate conueniant, & tanquam cæleſti harmonia concordent, vt illorum conſenſu noſtra patria lætetur, ſuamque inde ſalutem augeri non ingrata, ſed in laudes Tuas, vt debet, intenta & parata ſentiat. Floreant etiam & felices ſint quos Adminiſtros rerum habes tam pace quam bello gerendarum, vt illorum virtute, prudentia, dexteritate quod decorum & ſalubre rei publicæ eſt, ſemper conſulatur, perficiatur

atur, & ad communem referatur vtilitatem. Sic quum TIBI, quum TVIS, quum communi patriæ virtute Tua & Tuorum bene erit; hæc etiam Academia Tua magis magisque efflorescet, & fructus non indignos feret sæculi Tui felicitate. Hæc Tua Academia est, quæ deuotissimo cultu & plena spei TIBI Conditori suo hodie gratulatur: hæc etiam ingentium, quæ dedisti, beneficiorum memor, gratias TIBI hoc altero natali suo gestit agere, sed vt mea voce agantur, quod ex omnium vultu coniicio, vnice cupit, aut iure quodam suo a me flagitat. Quum autem ingentia sint & prorsus innumera, quæ TIBI accepta referimus; puto reuerentius esse, ea integra & illibata cogitationibus horum, qui me audiunt, reseruari, quam carptim & breuiter perstringi, quia fere sequitur, vt illa, quæ vno complexu apprehendimus, tanta, quanta sunt, esse videantur: ex disiunctis autem singula sectantes, propter multitudinem facile vnum, aut plura prætermittamus. Omnia ergo me dicturum credo, si omnem rem litterariam nostram, & omnia eius præsidia & ornamenta TIBI deberi profitebor. Ipse æternitati NOMEN TVVM consecrasti, quando cum Academia tua id commune voluisti esse, quod vt illi perquam est honorificum, ita TIBI vere immortale erit, quia Musæ immortales sunt, & omnes illos mori vetant, a quibus se ornatas beneficio, & laute habitas esse intelligunt. Venerabile hoc Nomen Tuum nostra gloria, nostra volu-

ptas

ptas & delectatio eſt, etiam amoris in nos Tui pignus & certiſſimum argumentum. Eumenius, Auguſtodunenſis profeſſor, ad Flauium Conſtantinum magnum Flauienſium nomine gratiarum actionem non ambitioſis quidem nec blandientibus verbis, ſed quæ veritas, quæ pietas, quæ fiducia exprimebat, ita ſuauisſime finiuit: NOS TAMEN NOMEN ACCEPIMVS TVVM IAM, ET FLAVIA EST CIVITAS AEDVORVM. Idem mihi iam finis dicendi ſit: NOS, PRINCEPS MAXIME, AVGVSTVM TVVM NOMEN ACCEPIMVS, ET ACADEMIA HALENSIS EST FRIDERICIANA, quod nulla vnquam obliuio delebit, ſed ſemper grato animo & ore, ſi qua ſero futura eſt, prædicabit poſteritas. Nos certe aſſidui prædicamus, & quando propitio cælo Natalis Tuus redierit, maioribus auſpiciis & anguſtiori lætitia prædicaturi ſumus.



ORATIO FVNEBRIS CLARISSIMO MERITISSIMOQVE VIRO, CHRISTOPHORO CELLARIO, ELOQVENTIAE ET ANTIQVITATVM IN REGIA FRIDERICIANA DESIDERATISSIMO PROFESSORI,

A. D. IV. IDVS IVNIAS cIↃ IↃcc VII.

DECERNENTE AMPLISSIMO ACADEMIAE SENATV PVBLICE DICTA AB

ANDR. IVLIO DORNMEIER, PHIL. ORD. ADIVNCTO.

DIXIT, quæ dicenda supererant, Orator consummatissimus, &, quod omnes publico luctu, mœstissimaque mente perpendimus, VIXIT. In lu-

luctu mansuetiores musæ sunt, plangunt vehementer, miro gestiunt desiderio, & insolabili pæne dolore conficiuntur, præsidium suum ac firmamentum, ducem atque auctorem, quo diu gloriatæ sunt, lamentabili comploratione, sed nunquam rediturum, hoc tempore requirentes. CHRISTOPHORVS CELLARIVS, ille, qui maximum eloquentiæ Romanæ decus, qui lucem attulit ingenuis litteris, ille, cuius fama non intra Halensia mœnia est conclusa, sed iisdem, quibus Romana lingua, spatiis peruagatur; Orator tuus & stator fugientium litterarum, Academia FRIDERICIANA, tuus, barbara haud ita pridem Germania, tuus, culta Batauia, tuus, Britannia, Dania, Suecia, Europa vniuersa; ille inquam pridie Nonas Iunias orbi ereptus est, illum habuimus, illius abitum acerbissime deploramus. Fateor, nec enim diu celare possum, me singulare quiddam in fatis adnotasse, dum in tanta eruditorum frequentia non alius cœtus, quam qui cultiorum hominum est, maius discrimen ac detrimentum sensit: & fere dubito, annon id culpam aliquam eorum arguat, qui quiduis aliud præoptando, pretiosam doctrinam modis omnibus adspernantur. Paucissimis ab hinc annis ex ornatissima hac serie sunt euocati, quos præstantissimæ litteræ nobilitarunt, Danorum Olaus Borrichius, Batauorum Græuius, Schubartus Germanorum, viri de præclaris litteris meritissimi, æternæque memoriæ commendandi. Hos tandem sequutus est venerabilis Senex, Academiæ nostræ

& orbis eximium decus: quo exstincto, si oculos nostros vndique circumferamus, omnem eruditorum cumulum percensendo, qui oratores dici mereantur, tantorum virorum laudibus iungendi, præter vnum duosue vix quemquam reperimus. Forsan quia humanioribus musis non iste, quo dignissimæ sunt, cultus tribuitur, fata illud in pœnam decernunt, vt hæ musæ subinde sileant, hæ musæ, quibus interpellatis quid cooriatur, quantum damnum existat; ex aduerso quid reflorescentes prosint, compluribus dudum adapertum est experimentis. Sed inuectiua ne iudicetur oratio, quæ summi viri meritissimis laudibus est consecrata, tantæ iacturæ caussas haud memorabo, nec abditiora Numinis sciscitabor consilia. Vnum hoc dico: exstincta sunt lucidissima orbis litterati lumina; vixit CELLARIVS, & præter doctrinæ laudem, insignem vtique, omniumque suffragiis adprobatam, communi luctui reliquit occasionem. Hæc si scirent, quos in extrema litteratorum prouincia, in Britannia, Batauia, aliisque spatiis, amicos tibi, beatissime, comparasti, quorumque ad lætitiam, tua se merita extendunt! hæc si scirent! Credo ego, contingere vix posse, vt a lacrymis sibi temperarent, quas dolor largiores ciet, si qui amici, suaui litterarum mercimonio coniuncti, mortis interuentu disseparantur. Vt enim virtutis maior splendor est e longinquo, ita clarissimus CELLARIVS, etsi carus Germanis suis, carior tamen adhuc fuit exteris, illu-

illustriorque apparuit; immo erit, & intuentium oculis nunquam non apparebit. Referunt, qui aliunde ad nos proficiscuntur, non ii solum, qui hinc ad peregrinas excurrunt regiones, indidem ad nos reuertentes, sed illi quoque, qui nunquam nostris in spatiis adfuerunt, atque fingere idcirco non existimantur; referunt omnes, CELLARIVM nomen, quoties apud alias gentes audiatur, ita vbiuis esse venerabile, vt oraculi instar id habeant, &, qui Germanorum est, hunc suum pronuntient, eiusque pro meritis miris conatibus contendant. Nos itaque an illis exteris deteriores simus, an tardiores ad perpendenda ingenia, an ab honore CELLARII, ab officio nostro remotiores, consideremus, spectatissimi Auditores. Sane ab hac suspicione vt nos adseramus, supremumque sic ei celebremus officium, ne parcius, quam pro meritis eius, egisse censeamur, id curate iam nostrum cuilibet esse suscipiendum, pietas exigit, suadet honestas, perfectissimæ nos vndique rationes conuincunt. Proinde, quem heri tumulo suo decoris exsequiis mandauimus, eius beatis manibus, amplissimo Academiæ senatu decernente, hoc ipso loco publico, quo sæpius oratorem illum cognostis, sermonis mirificum flumen, pariterque eruditionem demirati, iusta reliqua sunt persoluenda: idque officium, quantum quidem ad verba meditanda requiritur, ego, si non plenissime sum obiturus, tamen ex iis rationibus suscipiam, quæ me beatissime defuncto pri-

mum, deinceps vestræ quoque, Patres Academiæ Conscripti, obstringunt auctoritati. Quonam autem dictionis ornatu? nam de oratore instituetur oratio: quo eruditionis apparatu? quippe Cellarius est, non mediocris doctrinæ quispiam, cuius in laudibus commemorandis occupabor: qua denique mentis præsentia? nam hic dolor ad me quoque pertingit. Date hoc imbecillitati meæ, humanissimi Auditores, date sermonis inopiæ, vt, quantum potero iam, non quantum debeo, in hoc amplissimo lugentium cœtu perficiam, vitam honoremque tanti CELLARII interpretando. Quod si igitur, vnde proficisci solet oratio, initium arcessam, natalem locum, eorumque temporum faciem, quibus natus educatusque NOSTER est, tantam dicendi copiam, tamque multiplicem, video mihi subministrare, vt, si vbiuis expedire me vellem, in immensum excresceret amplificatio. Compertum nobis est, Smalcaldiam esse, vbi primam is lucem adspexerit: idque si non, vel si dubie comperissemus, vereor, ne idem ei, quod Homero, contingeret, quem septem Græciæ ciuitates certatim sibi vindicarunt. Smalcaldiam autem dum dico, vrbem appello, cui celebratissimum istud fœdus Smalcaldicum, historiarum monimentis insertum, & conscripti ibidem articuli, duraturam memoriam conciliarunt. Fingas tamen, esse aliquam casam, ex qua CELLARIVS prodierit; certe casam illam hoc viro nobilitari posse, famæque am-

amplissimarum vrbium æquiparari, non incongruentem reor, neque cordatiorum iudicis derisam sententiam. Sed nec istud in hoc argumento est relinquendum, Smalcaldiam, defuncti patriam, ferrariis fodinis enotuisse; vnde Lutherus, vrbis istius æstimator, eam celebrem vocat Chalcidem, oppidi cuiusdam nomen restaurans, quod olim erat in Eubœa situm, æris inuentione clarissimum. Quæ si ad loci celebritatem pertinent, quidni hoc etiam pertineat, aurum quoque, vel quod auro pretiosius est, inde prouenisse, aureum CELLARII nostri ingenium, cuius ministeriis tandem aurea latinitas, multa rubigine obducta, pristino suo nitori est restituta. Chalcioecus, vt hoc etiam attexam, notum Mineruæ cognomen est, siue, quod domum æream habuisse fertur, seu quod Chalcidenses, qui erant in Eubœa exsules, templum aliquod Mineruæ condiderunt. Mitto significationum amplitudinem, ne ludere in argumento serio videar: scio tamen, Chalcidensem CELLARIVM, genuinum Mineruæ filium, quidquid æneum erat, in purissimum aurum conuertisse. Mirabile autem est, quum prima eius ætas in illa tempora incidisset, quibus adhuc tricennali bello Germania adfligebatur, tamen in iis ærumnis hanc indolem enituisse; idque ipsum mirari magis adhuc decet, quoniam haud largissime suppetebat, vnde vitæ studiisque prospiceret, fortunis potioribus temporum inclementia commutatis. Accedit, quod

vix trimulus patrem amisit, Virum Amplissimum & summe spectabilem, CHRISTOPHORVM CELLARIVM, fidelissimum apud Smalcaldienses sacri coetus episcopum, patrem tam claro filio non inficiandum: quæ fortuna spem eius adeo non fregit, vt potius erigeret magis magisque, & ad litteras colendas excitaret. Ita nimirum prouidentissima Dei cura, si quos in lucem provehere destinauit, contra vulgarem fiduciam iis prospicit, iis animum adspirat, vt contra fortunam spei insistant, tandemque aliquando, ornatissima quæque munera capessendo, ex tenuiore sorte feliciter eluctentur. Persæpe bonæ litteræ his fatis moderatæ sunt, turbulentissimis temporibus, quum vix præter arma quidquam sonaret, fertilissime se proferentes, sedemque in generosis mentibus, immo ampliorem adhuc nobilissimis in vrbibus confirmantes. Cuius rei si quis a me veritatem requisiuerit, possum plurimis eam documentis roborare, ac documentis quidem illustrissimis: ex quibus duo tantummodo, ne longius hinc diuertam, ante oculos vestros defigam. Lugdunum Batauorum, totius Belgii quoddam miraculum, eo temporum articulo, quo strepitu armorum circumsonaret, optimis musis dedicabatur: Halæ Borussorum, inter præsentissimos metus, inter armorum conamina, vicina licet, nobis tamen pariter perhorrescenda, sapientissimi FRIDERICI consiliis, Regis ac Domini nostri indulgentissimi, hoc litterarum illustre domicilium

lium

lium est constitutum. Exempla sane luculentissima, & ad omnem perpetuitatem propaganda: quæ dum hoc loco commemoro, non possum, quin vtriusque Academiæ duos eruditos, quorum alter alteri fuit simillimus, quamuis locorum temporumque spatiis separatos, in hac laudum explicatione coniungam. Petrus Cunæus, CHRISTOPHORVS CELLARIVS, Eloquentiæ cultissimi Professores, historiarum & antiquiorum rituum indagatores, principes cultioris doctrinæ viri, hi duo sunt, his parem in istis scientiis proxime superiora sæcula, quantum scimus, nullum viderunt, neque ventura, si quæ tamen ventura sunt, ostendent superiorem. Sed vnde digressus sum, istuc ordo me reuocat, earumque virtutum contemplatio, quæ adolescentiorem NOSTRI ætatem decorarunt. Pietatem hic primum, deinceps industriam, iunctas tamen virtutes video, nunquam illius vel pueri vel adolescentis iudicio diuulsas, & neutiquam diuellendas, si qui sunt, qui ad solidam sapientiam connituntur. In istis vero doctrinis, quibus tenerior ille initiatus fuit, prima ordine occurrit linguarum peritia, cui penitus imbibendæ selectissimam indolem admouit: quippe hæc est illa scientia, quæ fundamentum subdit eruditioni reliquæ; sine qua nihil, quod solidum accuratumque sit, adquiri propiore aditu posse, ille exactis Præceptorum rationibus confidebat. Inprimis eloquentiæ studio ducebatur, ita nobili & iucundo, ita illustrioribus

bus ingeniis non indigno, vt summis quoque in orbe hominibus, summis terrarum Principibus, in deliciis fuerit, variis rationibus excultum. Ita eximiam ad laudem a Cornelio Tacito, auctore grauissimo, eiusdemque praestantiae scriptoribus nonnullis, referri video, tanta Tiberium latinitatis tractum esse dulcedine, vt monopolium appellaturus, graecum vocabulum, prius veniam postularit, quod sibi peregrino verbo vtendum esset. Neque est, quod quis hoc loco ignorantiam suam professurus, id mihi verbum obiectet, quod solet frequentius, nec debet audiri, in deperditis habendam esse, quae in vocibus emendandis versetur cogitatio: sciunt eruditi, quantas haec ignoratio disceptationes, quantas in sacro argumento, quantas in ciuili pariter, saepenumero peperit, quantoque errore, qui non omnium saeculorum voces intelligunt, singularumque significatus internoscunt, a recta interpretatione abludant. Fecit igitur egregie CELLARIVS noster, quod puriori dictioni, quae pars est eloquentiae, diligentem operam addixit, seque illorum societate, quos loquentia magis adficit, quam eloquentia, sedulitatis aliisque impendiis exemit. Quumque verissime hoc adfirmetur, quod Quintilianus perhibet, oratorem ab incunabulis instituendum esse: tempori obsecundauit noster CELLARIVS, hanc primis annis industriam capessens, vt oratoriam indolem, quae quidem nasci omnino debet, fingi praeceptis non potest, optimorum ducum

cum instituris ad futuram excellentiam formaret. Ita sane, qui puer tum erat, exemplo suo complures redarguit, maiores natu litteratos, qui, ne tempus inutiliter teratur, biennio consummandam praecipiunt, vel ad summum triennio, Romaniam eloquentiam. Alia haec ars est, quam quae plerisque innotuit; neque tam discitur eloquentia, quam scitur; non propinatur, sed mora quadam, nobis vix aduertentibus, ingeniis instillatur. Si qui enim verborum copiam congesserunt, si omnem pertentarunt grammaticen, si puriorem dictionem callent, si figuris abundant, si magnifice quiduis pronuntiant, ceteris autem, quae non dico, praetermissis, eos equidem eloquentes esse, ipsis postulantibus, minus aegre concedo; sed credibile magis existimo, aliud quiddam hoc esse, quam eloquentiam, teste, cui refragari non ausim, Marco Tullio Cicerone. Praeter rem ista si videar attulisse; eaedem me rationes, quae Marcum Tullium, excusabunt, illum, quum Archiam poetam, eumdemque Praeceptorem, oratione prosequuturus, ad poeticam artem praedicandam excurreret; me vero, quum oratoris laudibus laudem orationis adnecto. Multa sane sunt, quae ad perfectam eloquentiam concurrunt, estque inter hanc & reliqua studia quaedam adfinitas, tam arcto nexu coniuncta, vt, in partibus qui subsistunt, totam non adsequantur scientiam, nec orationis titulum absoluant. Hoc animaduerso CELLARIVS, quum iam linguas, latinam & graecam,

cam, alacri animo, memoria feliciſſima, adoleſcens apprehendiſſet; excitatam deinde ſollertiam, quantam potuit, ad emendatiorem philoſophiam direxit, non illam, quæ terminorum, quos neſcio quo grammatices fato dicunt, non quæ ſyllogismorum ineptientium, aut lubricæ diſputationis, captioſorum verborum, fallacium interrogationum, alioque id genus apparatu concluditur, ſed honoratiorem aliquam, & idoneis rationibus expetendam, quam & ipſe Clariſſimus Vir, illa oratione, qua vale Citicenſibus muſis dixit, cum honore nominauit; illam, quæ de adfectibus, animi characteribus, ingeniorum formis, gentium moribus, hominum officio & virtutibus agit, etiam quæ his aduerſaria ſunt, exponit, inutile nihil, nihil ſpinoſum admiſcet. Hæc illa philoſophia eſt, hanc ille plebeiæ ſapientiæ præoptauit. Structis itaque doctrinarum his fundamentis, duodeuiceſimo ætatis anno Ienenſem Academiam, inclitam litterarum ſedem, vbi coepta ſtudia perpoliret, fatis ſic dirigentibus elegit, ibidemque non humaniori dumtaxat & philoſophicæ eruditioni, mathematicæ ſpeciatim, omnium in contemplatiua philoſophia nobiliſſimæ, ſed ſanctiori quoque doctrinæ, egregiam mentem impendit, operam nauans diligentiſſimis viris, Bechmanno, Weigelio, Friſchmutho, aliisque, quos tunc Iena præcipuos poſſidebat. Poterat iam iſtud præmium, quod induſtriæ ipſius offerebatur, dignus accipere, ſed differendum ratus eſt, donec

aliarum

aliarum quoque academiarum lumina vidisset. Eoque voto Giessæ & aliis locis adimpleto, Ienam repetiit, accepitque, quod dudum meruerat, illud ex philosophia & artibus ornamentum. Non is quidem honos ingeniis exprobrandus est, Auditores, non ita penitus industria suis præmiis spolianda: intelligite vero rarissimam illius iuuenis verecundiam, quem non appetisse cognouimus, sed accepisse, honorem industriæ destinatum. Annon aliud hoc æuo contingat, annon, quod modestia deprecatur, sibi expetat ignauia, impudentia consequatur, est hæc quædam recentioris historiæ quæstio, quam pro me, cui alia iam sunt iniuncta, experientia quotidiana, ridiculis quidem exemplis, sed rem explicantibus euoluet. Dixi, quibus se studiis amplissimus Vir protulerit, iam, quibus muneribus, qua fide ac diligentia sit perfunctus, si vultis, Auditores, exponam. Scholæ natus, ad scholam præformatus, scholasticam operam auspicatus est, in hac felicissime processit, consenuit, exspirauit. Nihil hoc laudis esse, aut nihil præcipuæ, dixerint scholastici decoris obtrectatores; ego contra contendo: ego, si nemo est, eruditorum in censu illustris, quin ex scholia prodierit, si scholæ sunt a pietate conditæ, si scholæ sunt horti, in quibus plantæ proueniunt vtilissimæ, ipso Deo rigante, ecquid aliud euici luculentius, quam scholæ munera inter honestissima quæque referri oportere? Videor mihi iam Cæcilium Secundum audire,

toti-

totidemque verbis, quibus Isæum rhetorem prædicabat: Annum sexagesimum excessit, & adhuc scholasticus est: quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamuis nolimus, addiscimus; schola autem & auditorium, vt ficta caussa, ita res inermis, innoxia est, senibus præsertim: nam quid in senectute felicius, quam quod dulcissimum est, in iuuenta? Bene est, bene censes, Secunde, nec habeo, quod obuertam. Si qui ergo de scholis aliter, quam pulcherrime sentiunt, hoc est, si bonis litteris contemtorem animum opponunt, valeant illi, atque hinc cum iudiciis suis facessant: scholæ munera, id quod probaui, sunt improbis horum vocibus meritissimo præferenda. Atque hæc ratio est, propter quam CELLARIVS noster, ad scholas varie requisitus, hoc vitæ genus amplecti nil detrectauit, sed complura iuuentutis gymnasia, Weissenfelsense, Vinariense, Citicense, Meerspurgense, tandemque Academiam hanc nostram, doctrinis elegantioribus adauxit. Longum erit, quam sedulitatem in istis gymnasiis comprobarit, quantum amoris ac beneuolentiæ sibi adquisiuerit, quam gratus ipsis quoque Principibus fuerit, oratione persequi: quodsi quis autem industriæ scholasticæ quoddam specimen poposcerit, ad sola illa programmata me refero, quæ oratoriis exercitiis in Citizensi lyceo præmisit, seorsum quodam fasciculo comprehensa; quibus sane quid

doctius

doctius limatiusque proponi potuisset, nihil occurrit, iudicio quidem meo: si quis eorum nomina comperire gestiat, quos fautores ei comparauerit ista opera, multa pars MAGNI & ILLVSTRES dicuntur, neque reliqui sunt infra nobilitatem constituti. Si quis maiora adhuc exigat, illa plurimorum appello testimonia, qui, quam ægre summi Principes ipsum dimiserint, nobis exponunt. Id quod suis etiam verbis, rectissimus rerum suarum interpres, Ciza discessurus, & in serenissimo Principis conspectu, vera pariter ac grata oratione celebrauit, nihil, inquiens, abituro sibi tam obstitisse, quam Principis indulgentiam, Principis præmia non adspernanda, cui vero indulgentiæ, quibus præmiis, diuinum nutum crediderit esse anteponendum. Haud postrema temporariæ felicitatis pars est, Principibus probari; sed hos ego felicissimos demum reor, quos virtus commendat & eruditio, non illos, qui vano conatu, nullisque meritis, hunc aditum consequuntur. Virtus & eruditio Cellarium commendabant, tantamque reperiebant vbiuis gratiam, vt omnium voluntates aduerterent, atque incredibili vi & efficacia permulcerent. Non vnus ex illis erat, qui blandiorem vocem fingunt, vt auram captent benigniorem: non Eumenium illum æmulabatur, eloquentissimum Constantii Cæsaris, adulatorem dicam, an oratorem? maiora in orbem terrarum Constantii beneficia, quam deorum, vere quidem, sed impu-

impudentiſſime pronuntiantem: non Mamertinum aliquem effingebat, Eumenio non abſimilem, qui omnibus humanis vitiis Principem ſuum abſolutum eſſe, non credebat, ſed in vulgus auresque Principis dictitabat. Minime vero talem cognouimus cordatiſſimum hunc oratorem, neque, ſi talis repertus eſſet, tantam piorum Principum, quos publice prædicauit, indulgentiam meruiſſet; nunquam ſanctiſſimi Regis noſtri tanta fuiſſet clementia, vt, quam ſanctam cupiebat Academiam, nullaque nec morum ſorde, nec verborum violabilem, eam huiuscemodi oratoris miniſterio fœdari permiſiſſet. Veni in eum locum, vbi campus aperitur ampliſſimus, oſtendendi, quæ ſint eæ dotes, quibus ille, vt aliis locis, ita in Academia noſtra, tantum amorem, tantamque ſit gloriam conſequutus. Nemo vero mihi vitium appellet, ſi non modo rem ediſſeruero notiſſimam, ſed nec omnem indolem operamque eius adſequutus fuero: agam enim, quod ordo præcipit, faciemque magni CELLARII, ſi non omnibus, potioribus tamen lineamentis exſcribam. Vitæ exemplum accuratiſſimum, amor erga collegas, mira humanitas colloquentis, iudicantis rara modeſtia, hæc omnia, ſed non ſola ſunt, quæ tantam apud omnes gratiam habuerunt. Quæ quum ſtrictim equidem, vt compertiſſima, hic attingam, facere tamen haud poſſum, vt ſpeciatim non eloquar, quam ſit incredibili amore quosuis complexus, quos nouerat artium cultores

eſſe,

esse, non auersos ab iis laboribus, quibus illæ perfici debent ac perpoliri. Expertus dico, quod dico. Subit memoriam, quum ego ad hanc Academiam primum accederem, quantum ille humanitatis mihi, Pro-Rectorem ipsum adeunti, quantum spei ostenderit, si litteris præstantioribus, quas ille dirigebat, me totum impenderem. Grate adhuc interpretor, nec dabo posthac obliuioni, illam beneficentiam, quam post aliquanto, quum ipsi propius innotuissem, abunde perspexi, dum, quotiescunque vellem, museum mihi aperiebat, libros promebat, mecum de rebus eruditis varie disquirebat, immo hinc quodam tempore discessuro tantum, quantum satis ad abitum demorandum erat, sua sponte suppeditabat. Poteram id argumentum copiosius explicare, sed vereor, ne, si viueret, qui hæc mihi præstitit, hanc vocem eius modestia recusaret. Neque forsan admitteret, vt, quam sit amplissimum adiumentum, quod litteratus orbis accepit, quam varia ingenii monimenta, quibus sui memoriam in futurum æuum transmisit, dicere mihi proponerem. Sed dicam tamen, si cui forsan obscurum sit: si nullum præterierit; dicam nihilominus, ne mihi tantarum rerum ignoratio tribuatur. Magnam ingrauescentis ætatis partem his curis, sed tamquam deliciis insumsit, vt post mortem exstaret, quod artium studiosis varie prodesset: idque demonstrant egregii libri, eius celeberrimo nomine prænotati. Sunt autem hi potiores, ac pæne omnes,

probatæ latinitatis auctores, accuratiſſimis adnotationibus declarati; eorumque index locupletiſſimus, quem Fabri lexicon diu dixerunt, congruentius poſthac Cellario tribuendum. Lexicon vero quanta opera conficiatur, ex omnibus pauci ſunt, qui cognorunt, vnde excellens quidam Philologus apte iudicat, ſi quis eruditus puniendum crimen admiſerit, non illum ad metalla damnandum eſſe, ſed ad lexica contexenda. Neque vero hoc vnum lexicon, ſed alterum quoddam, quod antibarbari vocabulum ſibi præſcribit, adcurauit: de quo puto venuſtius dici, quod de Amphionio carmine confingitur, tantam vim habuiſſe & efficaciam, vt ſaxa concuſſa fuerint, &, ad interualla carminis conſiſtentia, ſponte murum velut arte conſtruxerint. Ita prorſus, dum Cellarii Antibarbarum mihi propono, non aliud videor ob oculos habere, quam quoddam munimentum, ad arcendam rudioris plebis barbariem exſtructum. Mitto reliqua incomparabilis viri monimenta, mitto ſcriptionis antiquæ notitiam, ſeu orthographiam, operam diu deſideratam, mitto cetera, quæ ex ingenio copioſiſſimo, tamquam inſtructiſſima CELLA, deprompta ſunt, mitto cultiſſimas orationes, ab oratore grauiſſimo exaratas, quem facetum dicerem, niſi hæc vox eſſet Chriſtianis oratoribus, ſeuerioris muſæ decreto, penitus abrogata. Vnum occurrit, quod incuriæ vitio non eſt relinquendum. Notitiam orbis antiqui, publicæ vtilitatis egregium opus, & exterorum

typis

typis iteratum, ante paucissimos annos, post multam operam impensam, eruditorum votis exhibuit; de quo dixerim, vix Columbum illum Christophorum tantum industriæ, quantum eiusdem nominis Cellarium, illum in orbe nouo, hunc in antiquo detegendo, mortalibus præstitisse. Mediam vero geographiam, quam quidem ingressus erat, occupatissimus Senex, inchoatam reliquit, cetero labore morte intercepto. Quum videlicet varias sub cælo regiones, varias vrbes, & quæ varia sunt, oculis suis obisset, sensit magis magisque, nihil sine vicissitudine reperiri: & qui corrupta fastidiebat vocabula, puriori antiquitati deditus, doluit maxime, muros iam dici & rudera, quæ olim vrbes atque amphitheatra insigniebantur. Omnia mire mutari vidit, antiqua obsolescere, noua ad pompam potius quam elegantiam componi, nihil per se stabile esse, sed caduca omnia, circumcisa & breuia, nullam rem, cui vere vocabulum illud tribueret, quod in ore & oratione frequentius habebat, perpetuitatem. Quare consistere maluit, quam longius in hoc orbe progredi; aliumque orbem, vbi æternæ veritatis vocabulum, æternamque felicitatem reperiret, non corporis oculis, sed mentis, inuestigauit, nec infeliciter. Nam pridie Nonas Iunias ad eum, quem quæsierat, portum appulit, nostrisque ab oculis in perpetuum recessit. In perpetuum vero? immo nunquam: nunquam eius memoriam vlla ætas in animis nostris delebit. Interim

tamen dolemus; interim ornamentum nostrum requirimus, morte sublatum. Non iniustus hic dolor est; sed qui tamen solatium tandem admittit, tandem mitigatur. Non illud solatium: senex erat, infirmus erat; hoc enim pagana quoque mens, tamquam infirmissimum, dudum reiecit: sed efficacius quoddam, & Christianis dignum. Illud inquam solatium, quod Lutheri pietas viduae cuidam adhibebat, obitum mariti CELLARII lugenti, quem haud scio an illuc, vnde ortus est NOSTER, referendum putem. Deus est, cuius nos sumus, cuius nostra sunt omnia. Deo igitur euocante, sequendum est & adquiescendum. Deus marito melior est, immo melior maritis, patribus, filiis, filiabus. Hoc illud solatium est, dolori oppositum: quid autem ad musas idem? Immo vero ad vos etiam, musae, atque ad vos potissimum, hoc verbum pertinet, hoc deinde officium. Vos itaque, si Deum nostis, Deo confidite, a Deo praesidium expetite, praesidium exspectate. Vixit, nec votis vnquam recuperabitur, CELLARIVS, vestra gloria, vestrum ornamentum. Huic vitam & quietem concedite, huius merita gloriamque propagate. Supremum officium, quod vobis pietas, quod nobis omnibus iniungit, in eo consideratur, vt sapientissima veneremur caeli consilia, quantoque magis CELLARIO sumus obstricti, tanto paratiore animo beatissimis ipsius manibus gratulemur.

EXE-

EXEQVIAS
VIRI
NOBILISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI,
CHRISTOPHORI CELLARII,
ANTIQVITATVM ET ELOQVENTIAE PROFESSORIS CELEBERRIMI,

DIE VIII. MENSIS IVNII,

HORA II. POST MERIDIEM

HONESTO RITV DEDVCENDAS

INDICIT

ACADEMIAE FRIDERICIANAE PRORECTOR

FRIDERICVS HOFFMANNVS,

CONSILIARIVS ET ARCHIATER REGIVS MEDICINAE ET PHIL. NAT. P.P.O.

Cuius viri hoc die exequias indicamus, eum si non aliunde, saltem ex sermone coniicietis, qui multum abest a nitore, mundicia, cultuque isto, per quem epistolae, aca-

demiæ causa vsque a primordio eius factæ, in laude ac pretio cum Germanis fuere, tum cultiori orbi uniuerso. Quis bonus mortem non lugeat? quæ magnam literis; maiorem patriæ; maximam autem ciuibus nostris iacturam attulit eamque vix consolabilem, hoc præcipue æuo, quod durissimum esse solet politiori humanitati. Desiderant proli! istæ præsidium suum: illam amissi decoris memoria tangit discruciatque: academiam vero vtrumque constringit, quæ sine remedio permanet, quo vel mœrorem depellat vel obliget vulnus, hoc casu acceptum. Adauget dolorem & eum non leuiter intendit, quod, animo conclusus, tundat pectus, & verba desint, quibus in querelas se effundat, neque mirum, cum vitam amiserit, quem *os* & *manus* academiæ omni iure dixeramus. Et quidem nostro carere elogio potest vir excellentis doctrinæ, quod scriptis celebrior longe sit, quam cuiusque oratione, exterorum quamplurimis cognitus magis, quam inter pomœria ciuitatis, vbi vixit docuitque. *Smalcaldia* ei patria fuit, quam vrbem haud dubie plures nesciunt, in quorum tamen manibus versantur opera defuncti, Patrem habuit virum honoratum, CHRISTOPHORVM CELLARIVM, primarium istius ditionis antistitem, sequior ætas *Superintendentem* dixit. MARIA mater, filia IOACHIMI ZEHNERI fuit, supremi sacrorum cœtuum, quotquot eorum in Hennebergico principatu florent, præfecti. Filio, sacris

cris initiato idem cum patre nomen delatum: verum celebritas & commemoratio utriusque multum diuersa, quam noster non auitis fortunis debuit, sed virtuti, labori, doctrinæ. Mireris tanti viri *ortum* in anno CIƆIƆCXXXVIII. inueniri, tum enim, die XXII mensis nouembris in lucem editus fuit, quo tempore, cum natale solum, quod nactus est, tum Germania omnis diuturno eoque funestissimo bello exhausta, parum abfuit a pernicie & exitio. Exemplum inde accipiant posteri, nihil obesse egestatem virtuti. Velut etiam cumulus accessit calamitati patris obitus præmaturus, quem infans vidit, cum tres annos vix egressus fuisset. Ea plerumque matrum est indulgentia, vt filios raro educant ad perferendos labores. Noster, hortatu matris, aut potius cœlesti aliquo mentis instinctu tyrocinia literarum ea solicitudine posuit, institutore IOANNE SCHMIDIO patrii ludi moderatore, vt anno ætatis decimo octauo academiam peteret iretque *Ienam*, cum ob docentium claritatem, tum propter vtilitatem annonæ, quod opes eius magnas impensas non ferrent. FRISCHMVTHIVM; BECHMANNVM; WEIGELIVM ibi doctores frequentauit: hunc matheseos; illum philosophiæ; istum ebrææ linguæ caussa. Anno CIƆ IƆCLIX. *Giessam* se contulit, HABERKORNII, magni theologi fama ad hoc iter excitatus. Cuius viri institutione in sacris dogmatibus vsus est eoque præside in arenam prodiit respondit-

que grauissimum argumentum *de infinito valore meriti Christi*. Rediit hinc *Ienam*, in illam pauperum altricem, cum animus desiderio flagraret, a *mathematico* & orientalium *linguarum* doctore inter auditores suscipi aeroamaticos, quibus doctrinæ partes aperirent, vulgaribus discipulis præclusas. Eodem tempore ZAPFIVM audiuit, cursumque philosophiæ, quem ingressus fuerat, hoc magistro absoluit confecitque. Latuit post aliquandiu in occulto, primum *Gothæ*; deinde in hac nostra ciuitate. Quod non sine diuino prouidentis numinis consilio factum est, vt tempus, ac otium illi esset, quæ didicerat, concoquere & digerere animumque ad idonei olim doctoris officia præparare. *Triginta* fere annos natus fuerat, quo spartam muneris nactus est, vbi tyrocinia poneret doctrinæ & virtutis. In *Weisenfelsensi* gymnasio linguam *ebræam* iuxta atque *ethicam* tradidit, ad vtramque disciplinam a principe tum AVGVSTO rite vocatus, cum paulo ante præclaræ eruditioni, quæ in nostro elucere cœperat, MAGISTRI artium priuilegia IENENSES impertiuissent. Qui familiarius illo vsi, facile intellexerunt, in tanta paucitate eorum, qui habiles sint ad ferendos illustrioris scholæ fasces, eum ita institutum esse ornatumque, vt huic prouinciæ natus & quodam naturæ munere constitutus esse, videretur: cum doctrinæ ergo, tum vitæ, quod linguas artibus iunxisset, moribus grauis ac integer esset, in laboribus assiduus & vtilis atque

iuuen-

iuuentuti exemplo præluceret, quod in literis æque ac probitate imitaretur. Ita factum est, vt de illo plurimæ scholæ certarent neque retinere possent, quem modo nactæ fuissent, cum aliæ aliis egregium doctorem viderentur inuidisse. *Vinariense* prytaneum an. CIϽ IϽC LXXIII. rexit; Post triennium *Cizense* moderatus est, vbi illustris viri SEKENDORFII eum amicitia tenuit aliquando diutius, totis duodecim annis. Hinc *Merseburgum*, ad similem spartam euocatus, concessit. Quinquennium fere ibi absoluit, honoribus, qui alibi sæpenumero ei decreti sunt, etiam in vicina academia, quod ætas in senium vergeret, prouide declinatis. *Fridericianæ* desiderio non minus difficiliter neque ante respondit, quam nutus ac consilia Dei probe cognouisset. Inter potissimas enim curas illa fuit AVGVSTISSIMI eius CONDITORIS, vt nouæ academiæ virum daret, qui elegantiorum literarum studiis lumen adferret. Hoc dum fecit, non solum ad ornamentum respexit, quo nouum sacrarium apud exteros bene audiret; sed etiam commoda iuuentutis promouit, vt scholæ nostri seminarium literariæ reipublicæ essent, vnde olim prodirent, qui cultiores doctrinas ipsi aliis iterum impertirentur. Quo fine prouectiores Latini sermonis cultores stipendiis mactauit princeps, quorum industriæ & humanitati pie defunctus testis adfuit suffragatorque. Amplissimos scientiæ limites, quibus ille diuersissimarum rerum cognitio-

nem continuit & sororio quodam vinculo sociauit, oceanum adpello, quem nullo tempore exhauseris. *Graecam*; *Ebraeam*; *Syriacam*; *Chaldaicam*; *Arabicam*; *Samaritanam*, linguasque orientalium populorum alias, quae illis vicinae sunt, non extremis tantum labris salutauit, sed ita familiares habuit, vt alios eas iterum doceret & primus in Germanis esset, qui praeceptionibus eas includeret & typis exscriberet, charactere nondum viso neque intellecto patriae vrbium tabernis. Qua causa ipse manus rei admouit, stannum ordinauit disposuitque, vt typographus in oculis haberet, quod sequeretur. LATINI deinde sermonis non cultor, sed Argus fuit: qui plusquam herculeo labore verba, sententias, dictiones alias e puriori Latinitate expunxit, alias, falso aliis suspectas, in ciuitatem postliminio recepit. Qua in re ita curate versatus est, vt, causa vocabuli vnius, prolixum quandoque librum a capite ad calcem eumque ad verbum legeret, ne, quod aliis exprobratur, ex indicibus tantum proficeret, alienis oculis videret, in testimonioque suo titubaret. Emendationibus in lexicon Fabri, iterato studio factis, thesaurum quoque fori Romani, quod in animo habuit, a mendis eadem felicitate facilitateque purgauisset, nisi bibliopola eum adstrinxisset pacto, ne, post Fabrum, aliis lexicographis medelam adhiberet; isque solus in hoc argumento regnaret in orbe literato. Neque fieri potuit, vt nostrum aliquid fugeret, quod ad-

paratum

paratum instrueret purioris Latii. Classicos enim, quos dicimus, auctores praeter Liuium & Tacitum, vbi codices desiderauit, omnes vere edidit, emendauit, explicauit atque indicibus, non aliena manu collectis, auxit, insigni commodo humanitatis. Porro non satis ei fuerat, paganos legisse. Seni in deliciis fuere scriptores christiani in vtroque genere dicendi. Lactantio; Prudentio; Sedulio aliis magnam operam impendit, vt in manibus ac scholis illi essent hominum christianorum. Rerum olim gestarum tempora, exitus, causas, loca in promptu non minus habuit, quod hoc argumentorum cumulo opus esse intelligeret perfecto oratori. In stylo planus & luculentus fuit, hoc charactere centum orationes internoscas & suo vindices auctori, quae in limine alia nomina prae se ferunt. Lipsiensium actis, quae inseruerit, inseruit autem plurima, eodem remedio ab aliis discernes, cum aequabilitatem scriptionis alii difficulter imitentur. Peregrinationibus nullum tempus dedit: sed animo notitiam complexus est orbis uniuersi. In rebus praecipue antiquis omne punctum tulit. Museolo inclusus itinera indicauit; fluuiorum ortus, gressus, exitus docuit correxitque; regnorum limites; spatia populorum; vrbium locationes situsque eruit, obscuris lumen accendit erroresque in viam reduxit: vt extera regna non pudeat, ex peregrino scriptore antiquam patriae notitiam hausisse. Siue enim Belgam siue Anglum

aut quodcunque tandem nomen fubfcriptor mentiatur, non alia caufa impulit, vt Germani geographi librum prelo daret, cum iniuria ac damno legitimi bibliopolæ. Idem periculum thefaurus LL. idem libri alii plures, a defuncto fcripti incurriffent, nifi conatibus obicem pofuiffent noftrates & viuus fordida lucra ipfe reprobauiffet. Quod fi enim quæftui habuiffet fcripta fua, fieri non potuiffet, quin innumeras fere opes & ipfe contraheret, & hoc commercio, thefaurum ad pofteros transmitteret, vnde compendia ipfi fperare poffent, femper duratura. Sed ita agitur cum eruditis, vt vmbris honorarii pafcantur, ipfam vigiliarum fuarum mercedem furripiant negotiatores. Ad familiam pergo, coniugem, liberos, nepotes, quos plures vidit. Vxor ei HEDEVICA ELEONORA, etiam nunc fuperftes, vidua mœftiffima. Hanc virtus, forma, natalium dignitas illi commendauerunt. Præclaræ enim genti originem debet, quæ cognomentum habet A BERG; patre edita GEORGIO FRIDERICO, qui Gothano & Lüneburgico principibus a confiliis cultuque fuit architecturæ militaris. Quadraginta fere annorum matrimonium coluit profperum ac fœcundum. Pater feptem liberorum fuit, quorum tres fuperfunt. CHRISTOPHORVS, Boruffiæ regi a negotiorum circuli Saxoniæ inferioris fecretis. HEDEVICA SOPHIA & MARIA ELISABETHA, quarum illa maritum habet IOHANNEM FRIDEMANNVM

NVM SCHNEIDERVM *doctorem & professorem philosophiæ ordinarium atque extraordinarium iuris:* altera collocata est IACOBO FRIDERICO LVDOVICI, *iurium doctori & professori extraordinario atque ordini ictor. adscripto.* Paucis abhinc annis superstes quoque in illis fuerat SALOMON, *Medicinæ Licentiatus*, qui, cum ex Belgio redux factus esset, & in sanandi arte singulares profectus ostendisset, præmatura morte obiit, maximo parentis luctu, quod is eum tenerrime amauisset. Ceterum morbi mortisque causam in nostro habueris ipsam senectutem, corporis viribus tot vigiliis & assiduo labore valde attritis. Calculi dolores accesserunt, vt animus mortem præsagiret: partim quod illi maximis cruciatibus corpus affligerent, partim etiam, quod intelligeret defunctus, inter hos ipsos Wagenseilium, virum illi amicissimum, paulo ante mortem oppetiisse. Confecit extremum diem plenus fidei fiduciæque in SERVATOREM CHRISTVM, IV MENSIS IVNII HORA V matutina: annos natus *octo & sexaginta.* Vestrum est, quotquot literas in pretio habetis, manibus viri bene precari, qui optime de vobis meritus famæque gloriam nactus est, nullo tempore intermorituram. P. P. Halæ IIX IVN. CIↃ IↃCCVII.

FINIS.





Quorum doctrinae est, de futuris i[illegible]
esse. Politicus.


Politicus prudens


Politicus prudens
Aulicus politicus est
homo nullius fiori



Thesis est flocci nullius

Sala





que grauissimum argumentum *de infinito valore meriti Christi.* Rediit hinc *Ienam,* in illam pauperum altricem, cum animus desiderio flagraret, a *mathematico* & orientalium *linguarum* doctore inter auditores suscipi aeroamaticos, quibus doctrinæ partes aperirent, vulgaribus discipulis præclusas. Eodem tempore ZAPFIVM audiuit, cursumque philosophiæ, quem ingressus fuerat, hoc magistro absoluit confecitque. Latuit post aliquandiu in occulto, primum *Gothæ;* deinde in hac nostra ciuitate. Quod non sine diuino prouidentis numinis consilio factum est, vt tempus, ac otium illi esset, quæ didicerat, concoquere & digerere animumque ad idonei olim doctoris officia præparare. *Triginta* fere annos natus fuerat, quo spartam muneris nactus est, vbi tyrocinia poneret doctrinæ & virtutis. In *Weisenfelsensi* gymnasio linguam *ebræam* iuxta atque *ethicam* tradidit, ad vtramque disciplinam a principe tum AVGVSTO rite vocatus, cum paulo ante præclaræ eruditioni, quæ in nostro elucere cœperat, MAGISTRI artium priuilegia IENENSES impertiuissent. Qui familiarius illo vsi, facile intellexerunt, in tanta paucitate eorum, qui habiles sint ad ferendos illustrioris scholæ fasces, eum ita institutum esse ornatumque, vt huic prouinciæ natus & quodam naturæ munere constitutus esse, videretur: cum doctrinæ ergo, tum vitæ, quod linguas artibus iunxisset, moribus grauis ac integer esset, in laboribus assiduus & vtilis atque

iuuen-

iuuentuti exemplo præluceret, quod in literis æque ac probitate imitaretur. Ita factum est, vt de illo plurimæ scholæ certarent neque retinere possent, quem modo nactæ fuissent, cum aliæ aliis egregium doctorem viderentur inuidisse. *Vinariense* prytaneum an. CIↃ IↃC LXXIII. rexit: Post triennium *Cizense* moderatus est, vbi illustris viri SEKENDORFII eum amicitia tenuit aliquando diutius, totis duodecim annis. Hinc *Merseburgum*, ad similem spartam euocatus, concessit. Quinquennium fere ibi absoluit, honoribus, qui alibi sæpenumero ei decreti sunt, etiam in vicina academia, quod ætas in senium vergeret, prouide declinatis. *Fridericianæ* desiderio non minus difficiliter neque ante respondit, quam nutus ac consilia Dei probe cognouisset. Inter potissimas enim curas illa fuit AVGVSTISSIMI eius CONDITORIS, vt nouæ academiæ virum daret, qui elegantiorum literarum studiis lumen adferret. Hoc dum fecit, non solum ad ornamentum respexit, quo nouum sacrarium apud exteros bene audiret; sed etiam commoda iuuentutis promouit, vt scholæ nostri seminarium literariæ reipublicæ essent, vnde olim prodirent, qui cultiores doctrinas ipsi aliis iterum impertirentur. Quo fine prouectiores Latini sermonis cultores stipendiis mactauit princeps, quorum industriæ & humanitati pie defunctus testis adfuit suffragatorque. Amplissimos scientiæ limites, quibus ille diuersissimarum rerum cognitio-

nem continuit & sororio quodam vinculo sociauit, oceanum adpello, quem nullo tempore exhauseris. *Graecam; Ebraeam; Syriacam; Chaldaicam; Arabicam; Samaritanam*, linguasque orientalium populorum alias, quae illis vicinae sunt, non extremis tantum labris salutauit, sed ita familiares habuit, vt alios eas iterum doceret & primus in Germanis esset, qui praeceptionibus eas includeret & typis exscriberet, charactere nondum viso neque intellecto patriae vrbium tabernis. Qua causa ipse manus rei admouit, stannum ordinauit disposuitque, vt typographus in oculis haberet, quod sequeretur. LATINI deinde sermonis non cultor, sed Argus fuit: qui plusquam herculeo labore verba, sententias, dictiones alias e puriori Latinitate expunxit, alias, falso aliis suspectas, in ciuitatem postliminio recepit. Qua in re ita curate versatus est, vt, causa vocabuli vnius, prolixum quandoque librum a capite ad calcem eumque ad verbum legeret, ne, quod aliis exprobratur, ex indicibus tantum proficeret, alienis oculis videret, in testimonioque suo titubaret. Emendationibus in lexicon Fabri, iterato studio factis, thesaurum quoque fori Romani, quod in animo habuit, a mendis eadem felicitate facilitateque purgauisset, nisi bibliopola eum adstrinxisset pacto, ne, post Fabrum, aliis lexicographis medelam adhiberet; isque solus in hoc argumento regnaret in orbe literato. Neque fieri potuit, vt nostrum aliquid fugeret, quod ad-

paratum

paratum instrueret purioris Latii. Classicos enim, quos dicimus, auctores præter Liuium & Tacitum, vbi codices desiderauit, omnes vere edidit, emendauit, explicauit atque indicibus, non aliena manu collectis, auxit, insigni commodo humanitatis. Porro non satis ei fuerat, paganos legisse. Seni in deliciis fuere scriptores christiani in vtroque genere dicendi. Lactantio; Prudentio; Sedulio aliis magnam operam impendit, vt in manibus ac scholis illi essent hominum christianorum. Rerum olim gestarum tempora, exitus, caussas, loca in promptu non minus habuit, quod hoc argumentorum cumulo opus esse intelligeret perfecto oratori. In stylo planus & luculentus fuit, hoc charactere centum orationes internoscas & suo vindices auctori, quæ in limine alia nomina præ se ferunt. Lipsiensium actis, quæ inseruerit, inseruit autem plurima, eodem remedio ab aliis discernes, cum æquabilitatem scriptionis alii difficulter imitentur. Peregrinationibus nullum tempus dedit: sed animo notitiam complexus est orbis uniuersi. In rebus præcipue antiquis omne punctum tulit. Museolo inclusus itinera indicauit; fluuiorum ortus, gressus, exitus docuit correxitque; regnorum limites; spatia populorum; vrbium locationes situsque eruit, obscuris lumen accendit erroresque in viam reduxit: vt extera regna non pudeat, ex peregrino scriptore antiquam patriæ notitiam hausisse. Siue enim Belgam siue Anglum

aut quodcunque tandem nomen subscriptor mentiatur, non alia causa impulit, vt Germani geographi librum prelo daret, cum iniuria ac damno legitimi bibliopolæ. Idem periculum thesaurus LL. idem libri alii plures, a defuncto scripti incurrissent, nisi conatibus obicem posuissent nostrates & viuus sordida lucra ipse reprobauisset. Quod si enim quæstui habuisset scripta sua, fieri non potuisset, quin innumeras fere opes & ipse contraheret, & hoc commercio, thesaurum ad posteros transmitteret, vnde compendia ipsi sperare possent, semper duratura. Sed ita agitur cum eruditis, vt vmbris honorarii pascantur, ipsam vigiliarum suarum mercedem surripiant negotiatores. Ad familiam pergo, coniugem, liberos, nepotes, quos plures vidit. Vxor ei HEDEVICA ELEONORA, etiam nunc superstes, vidua mœstissima. Hanc virtus, forma, natalium dignitas illi commendauerunt. Præclaræ enim genti originem debet, quæ cognomentum habet A BERG; patre edita GEORGIO FRIDERICO, qui Gothano & Lüneburgico principibus a consiliis cultuque fuit architecturæ militaris. Quadraginta fere annorum matrimonium coluit prosperum ac fœcundum. Pater septem liberorum fuit, quorum tres supersunt. CHRISTOPHORVS, Borussiæ regi a negotiorum circuli Saxoniæ inferioris secretis. HEDEVICA SOPHIA & MARIA ELISABETHA, quarum illa maritum habet IOHANNEM FRIDEMANNVM

NVM SCHNEIDERVM *doctorem & professorem philosophiæ ordinarium atque extraordinarium iuris:* altera collocata est IACOBO FRIDERICO LVDOVICI, *iurium doctori & professori extraordinario atque ordini ictor. adscripto.* Paucis abhinc annis superstes quoque in illis fuerat SALOMON, *Medicinæ Licentiatus,* qui, cum ex Belgio redux factus esset & in sanandi arte singulares profectus ostendisset, præmatura morte obiit, maximo parentis luctu, quod is eum tenerrime amauisset. Ceterum morbi mortisque caussam in nostro habueris ipsam senectutem, corporis viribus tot vigiliis & assiduo labore valde attritis. Calculi dolores accesserunt, vt animus mortem præsagiret: partim quod illi maximis cruciatibus corpus affligerent, partim etiam, quod intelligeret defunctus, inter hos ipsos Wagenseilium, virum illi amicissimum, paulo ante mortem oppetiisse. Confecit extremum diem plenus fidei fiduciæque in SERVATOREM CHRISTVM, IV MENSIS IVNII HORA V matutina: annos natus *octo & sexaginta.* Vestrum est, quotquot literas in pretio habetis, manibus viri bene precari, qui optime de vobis meritus famæque gloriam nactus est, nullo tempore intermorituram. P. P. Halæ IIX IVN. CIↃ IↃCCVII.

FINIS.





Quorum doctrinae est, de futuris conj
icere. Politicos.

Politicus prudens

Politicus prudens
Aulicus politicus est
homo nullius fidei

Thesis est flocci nullius

Sala

